

constat. 6 ggl. auctione Lips. hac.

Gg. 87.

IO. GOTTL. HEINECCI, IC.

S. REG. MAI. PRVSS. CONSIL. INTIMI,
ET IVR. AC PHILOS. IN ILLVSTRI FRI-
DRIC. P. P. ORD.

HISTORIA IVRIS CIVILIS ROMANI AC GERMANICI,

QVA VTRIVSQVE
ORIGO ET VSVS IN GERMANIA
EX IPSIS FONTIBVS OSTENDITVR,
COMMODA AVDITORIBVS METHODO
ADORNATA,
MVLTISQVE OBSERVATIONIBVS HAVD VVLGARIBVS
PASSIM ILLVSTRATA.

and.
Halae 1777.





HALAE MAGDEBVRGICAE
SVMTIBVS IOANNIS ERNESTI FRITSCHII,
ANNO MDCCXXXIII.





VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
SAMVELI
L. B. DE COCCEII,
POT. PRVSS. REGIS SANCTIORIS CONSILII ADMINISTRO, SVMMI TRIBVNALIS ET CONSISTORII PRAESIDI, RERVM ECCLESIASTICARVM DIRECTORI, OMNIVMQVE ACADEMIARVM REGIARVM CVRATORI SVPREMO.

NEC NON

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO,
DOMINO
FRIDERICO
DE REICHENBACH,
POT. REG. MAI. PRVSS. CONSILIARIO INTIMO, CONSISTORII ET DIRECTORII RERVM ECCLESIASTICARVM PROPRAESIDI, ET REGIARVM ACADEMIARVM CVRATORI,

MAECENATIBVS INDVLGENTISSIMIS,

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIVS, IC.

VIRI ILLVSTRISSIME,

ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI.

QVamuis, ex quo me vitae academicae totum consecrare coepi, nihil omnino mihi reliqui fecisse videar, vt Spartam hanc pro virili quotidie ornarem: tamen, posteaquam in illustrem hanc Fridricianam redire iussus sum, nouo me

 veluti

veluti ſacramento adactum exiſtimaui, vt munere hoc multo maiore cum cura, omnique animi contentione fungerer. Nam ſicuti hoc antea ipſa exiſtimatio mea exigere videbatur, ne tot laboribus quaeſitam otio ac torpore amitterem: ita iam mihi operam dandam video, primum, ne longe clementiſſimum POTENTISSIMI REGIS *de me ſtudiisque meis iudicium vnquam feſelliſſe videar: deinde, vt apud VOS, ACADEMIARVM CONSTITVENDARVM DVVMVIROS, otii mihi conſtet ratio: denique, ne ipſius ſtudioſae iuuentutis opinionem, ſpemque de me conceptam turpiter deſtituam. Sane, niſi ipſa natura mea mihi ad colendum hoc officium boni viri incitamento eſſet, vel hae ſolae rationes non poſſent non me multo ad id reddere alacriorem, ac igniculos veluti quosdam ſubiicere, vt nullos*

labo-

labores, nullasque vigilias, quibus illuſtri huic Academiae prodeſſe vllo modo poſſim, defugiam. Huius vero incitatiſſimi ſtudii mei primum hoc ſpecimen VOBIS, VIRI EXCELLENTISSIMI, *offerre iam ſuſtineo, vt ſimul pignus ſit deuoti* VOBIS *obſtrictiſſimique tot beneficiis* VESTRIS *animi, quem quidem ego, quoad vixero, nunquam, mihi credite, deponam.* VOBIS *enim cum alia quamplurima, tum & id inprimis debere me fateor, vt, migrationem ex Viadrina in hanc illuſtrem Fridricianam nullum rei meae familiari detrimentum adlaturam, non ſolum ſperare, ſed & confidere poſſe videar. Eſt quidem hoc omnium noſtri ordinis hominum fatum, vt quum virtus fortunaque* VOS, MAECENATES, *aliis omnibus antetulerit, non niſi chartaceo aliquo munuſculo referendae gratiae offi-*

cio poſſimus defungi: at ego tamen cum illo coniungam animum tantorum in me beneficiorum perpetuo memorem, neque vnquam, dum ſpiritus hos reget artus, VESTRA de me merita laudibus concelebrare, DEOque optimo maximo vitam atque incolumitatem VESTRAM flagrantiſſimis votis commendare deſinam. Valete, VIRI EXCELLENTISSIMI, remque publicam feliciter gerite. Halae ipſis Kal. Octobribus MDCC XXXIII.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO

S. P.

QVod plerosque facere animaduertimus, qui praefationes ſcribunt, vt vel rerum, quas explicant, vtilitatem ac praeſtantiam verbis ornatisſimis commendent, vel vino alioquin minus vendibili veluti hederam ſuſpendant: eorum ego hic nihil facere conſtitui. Quemadmodum enim incredibilem HISTORIAE IVRIS vtilitatem ſatis perſpiciunt harum rerum intelligentes, eamque reipſa experiuntur quotidie: ita apud imperitos & veteris barbariei ſtatores fruſtra verba facerem, neque vlli mortalium tantum eſt flumen ingenii, tanta ſcribendi dicendique vis ac copia, vt his hominibus, vel ad ipſum elegantiorum litterarum nomen cohorreſcentibus, non dicam perſuadere, ſed veroſimile tantum facere poſſit, earum vllam in iurisprudentia vtilitatem eſſe. Et ſane qui fieri poſſet, vt illi harum deliciarum ſuauitatem ſalubritatemque percipiant, qui quotidie carduelibus ſentibusque veſcuntur, aſperumque illum victum calceatis iſtis dentibus ſuis facillime ſubigunt? Quare quum & rem in ſe commendatiſſimam verbis extollere, ſuper-

uacuum; & surdis narrare fabulam, molestissimum videatur: de vtilitate praestantiaque huius studii, vt praediximus, iam non differemus, sed instituti tantum nostri rationem reddemus iis, quibus nos, nostraque studia, vigilias ac labores probari quam maxime cupimus.

Placuit nuper REGI nostro longe clementissimo, vt, relicta illustri Viadrina, in Fridricianam hanc celeberrimam me conferrem, docendique munus, quo iam olim ibi non sine fructu studiosae iuuentutis perfunctus fueram, postliminio obirem. Parui ego, prout decet, OPTIMI PRINCIPIS voluntati, & quamuis nouam illam migrationem, decliui iam aetate, quantum fieri potuit, deprecarer, eiusque taedio conditiones splendissimas, a REGIBVS ac REBVSPVBLICIS potentissimis mihi propositas, aliquoties repudiassem, Halam tamen familiam ac supellectilem transtuli, operamque dedi, vt obsequio erga PRINCIPEM nec prius mihi, nec antiquius quidquam esse, re ipsa ostenderem. Inciderat haec profectio mea in illud anni tempus, quo Halae praelectionum publicarum priuatarumque iam pridem factum fuerat auspicium, nec integrum mihi erat, a disciplinarum quarumdam interpretatione munus meum auspicari, nisi turbare vellem ordinem, quem doctores celeberrimi

iam

iam inde a feliciſſimis academiae huius primordiis religioſe ſeruarant. Ne tamen paucos hos menſes otio ac ſilentio tranſirem, ſtatui iuuentuti ſtudioſae publice ea praelegere atque inculcare, quae tortuoſum iurisprudentiae iter ac veluti Labyrinthum ingreſſurae inſtar fili Ariadnei eſſe poſſent. Expenſis itaque, quae huc facere videbantur, vniuerſis, ſubductisque rationibus, hanc feci cogitationum mearum ſummam, nihil illis fore vtilius, nihilque fructuoſius, quam ſi iis iuris tum Romani, tum Germanici, origines ac progreſſum paullo accuratius enarrarem, ex ipſaque hiſtoria oſtenderem, quis vtriusque illius iuris in foro vſus ſit, & quantum decipiantur ac decipiant, tum qui, vt ius Rom. in exſilium agant, Germanicum neſcio quod, in tribunalibus vnice regnare contendunt, tum qui, recepto in ſubſidium illo iure, tantam rerum conuerſionem factam eſſe exiſtimant, vt moribus patriis foro, ac veluti aqua & igni interdictum ſit. Ne vero auditoribus, qui magno numero ad has acroaſes confluebant, deeſſet libellus, quem & in auditorio, & domi, prae manibus haberent, breues has poſitiones in chartam conieci, calamo tam feſtinante, vt ſaepenumero ſchedae adhuc madidae in officinam mittendae eſſent. Quamuis autem mihi veniam paratam fore putem apud

aequos

aequos rerum arbitros, si quaedam vel praeteruisa, vel non satis ad amussim facta perpolitaque deprehenderint: adfirmare tamen possum, me haut pauca obseruasse mihi videri, quae non omnibus in mentem venerunt, ac proinde breuiter perstrictis iis, quae iam ab aliis accuratius tradita noueram, ea, quae vulgo vel omitti, vel perperam proponi solent, diligentius explicasse, meque multo plura atque exquisitiora eius generis additurum, si eo vsque vitam produxerit summum Numen, vt limam iterum subeat libellus paene extemporarius. Ita enim comparatum est hoc studiorum genus, ad quod nos horis tantum subcesiuis furtim veluti referimus, vt quotidiana lectio multas nobis obseruationes nouas sufficiat, quibus ea, quae olim in chartam conieceramus, mirifice illustrari locupletarique possint. Cuius rei vt quaedam specimina hic demus, pauca, quae interea, dum prelum feruebat, animaduertimus, veluti per lancem saturam recensere iuuabit, ita tamen, vt chartae habeamus rationem, & temporis, quod nobis ob imminentes nundinas conceditur, perquam exigui.

Libro priore * fusius egimus de edictis magistratuum, solideque, nisi fallimur, demonstrauimus, Dictatores, Consules, Censores,

* §. *LVI. sequ. p. 52.*

ſores, Praetores, Aediles curules, Tribunos plebis, quin & Praefectos praetorio, adeoque omnes fere magiſtratus, edicta de rebus ad curationem ſuam pertinentibus reddidiſſe, quin ideo HONORARIVM illud ius dictum eſſe, quod omnes, qui Romae honoribus fungerentur, ipſique adeo ſacerdotes, nedum magiſtratus, ius illud edicendi ſibi arrogarent. Fruſtra adhuc deſideraueram aliquot magiſtratuum, qui edicta propoſuerint, exempla, veluti profectorum vrbi, praefectorum Auguſtalium, & quaeſtorum, in quae tamen interea, dum plagellae hae typis deſcribebantur, aliud plane agens, incidi. Praefecti enim vrbi Turcii Aproniani, edicta bina, alterum de carnibus, non micatione, ſed ad exagium vel ſtateram vendundis, alterum de ſuariis eorumque canone vinario, integra exſtant apud Gruterum: ** ſimiliaque aliorum praefectorum paſſim memorat Ammianus Marcellinus, *** eo notatu digniora, quo magis ex illis patet, etiam poſt edictum perpetuum hos praefectos edicta iurisdictionis ſuae cauſſa promulgare non deſiiſſe. Ita & Praefectos Aegypti Auguſtales eo iure vſos eſſe, numquam quidem dubitaram, qui non ignorabam,

** *Inſcript. p. DCCXLVII, 6. 7.* *** *Ammian. Marcellin. Hiſt. XXVII, 9. XXVIII, 4.*

rabam, eos ab Arriano † ob proconsulare imperium ὑπάρχους Αἰγύπτου vocari, quique apud Tacitum †† legeram, illos *loco regum in Aegypto egisse*, apud eosque & *lege agi* potuisse, & *eorum decreta perinde habita esse, ac si magistratus Romani constituissent.* At nondum tamen occurrerat locus, quo diserta fieret edictorum ab iisdem propositorum mentio. Talem postea praeter spem atque opinionem reperi apud Philonem, ††† qui Auidium Flaccum, Praefectum Augustalem, crudelem alioquin & flagitiis omnibus coopertum hominem, eo tamen maxime nomine laudat, quod primis praefecturae suae annis τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἀνέπλησεν εὐνομίας, *quod bonas leges in vrbem Alexandrinam, & totam prouinciam, induxerit.* Quod profecto non aliter, quam proposito edicto prouinciali, fieri potuit: vt iam non dicam de edictis repentinis, quae, prout res inciderent, promulgasse eumdem Flaccum, idem Philo * testatur. Denique & Quaestores eo iure vsos esse, mihi persuasit locus Ciceronis: ** *L. Octauio & C. Cottae Coss. Senatus permisit, vt vini & olei decimas,*

† *Arrian. Expedit. Alex. III, 5. p. 110.* †† *Tacit. Hist. I, 11. & Annal. XII, 60.* ††† *In Flacc. p. 966.* * *Ibid. p. 971.* ** *Orat. in Verr. III, 7.*

cimas, & frugum minutarum, quas ante te Quaestores in Sicilia vendere consuessent, Romae venderent, legemque his rebus, quae ipsis videretur, EDICERENT. Ex eo enim manifesto patet, consules tum Romae fecisse, quod antea Quaestores in prouinciis, id est, vendidisse decimas, legemque venditioni, proposito edicto, dixisse, vt dubitari non possit, quin & Quaestoribus commune ius edicta reddendi fuerit cum reliquis magistratibus omnibus.

Alio loco *** de SCHOLA IVRIDICA ROMANA, Constantinopolitana & Berytensi diximus, ad easque ad saeculum sextum vsque magnum concursum factum esse ostendimus. Subdubitaui adhuc, an & sub Gothicis, & Langobardicis Regibus, itemque sub Imperatoribus Francicis & Germanicis, florem suum conseruarit Romanum istud gymnasium. Sed reperi quaedam veterum testimonia, quae id adfirmandum esse suadent. Apud Cassiodorum † enim Athalaricus, Rex, Professoribus Romanis stipendia integra persolui iubet, in illisque numerat etiam *iuris expositorem.* Et in pacto, inter Leonem PP. VIII. & Ottonem M. in Synodo Lateranensi anno MCCCCLXIV. inito, a Theodorico de Niem, ††

Melch.

*** *Lib. I. §. 313. p. 312.* † *Cassiod. Var. IX, 21.* †† *de iure & priuil. imp. p. 248.*

Melch. Goldasto, ††† Io. Schiltero, * alisque edito, sub finem dicuntur ea omnia facta esse *in patriarchio Lateranensi, in ecclesia S. Saluatoris, synodo constituta a pluribus viris catholicis, Episcopis, & Abbatibus, insuper iudicibus & LEGIS DOCTORIBVS*, per quos quum intelligi nequeant Doctores, sollemni ritu in academiis creati, (quos aetas illa ignorasse omnino videtur,) manifestum est intelligi professores legum, qui Romae tum docendi munere fungebantur. Quo quantiuis pretii testimonio simul confirmatur, quod alibi obseruauimus, ** iuris ciuilis in foris Italiae a Iustiniani temporibus ad Lotharii Saxonis imperium permagnam fuisse auctoritatem, quamuis postremis temporibus defuerint, qui cupidae legum inuentuti viam ad iurisprudentiam monstrarent, & ob eam potissimum caussam desertam hanc ab aliis prouinciam PEPO, IRNERIVS, aliique Bononienses, occuparint.

Libro posteriore *** obseruauimus, omnes prouinciales, Italos, Gallos, Hispanos, qui sub Francorum, Ostrogothorum, Wisigotho-

††† *Constit. Imp. Tomo I. p. 34.* * *Schilt. Inst. Iur. publ. Tom. II. Lib. II. Tit. X.* ** *Lib. I. §. CCCXXXIX. p. 340.* *** *Lib. II. §. XIII. p. 364. §. XV. p. 366.*

gothorum, Burgundionum, Langobardorum imperio vixerint, iuris Romani vſum retinuiſſe. Eam obſeruationem mirifice illuſtrat doctiſſimus Ant. Matthaei. † qui multis demonſtrat, eos, quamuis a populis iſtis Germanicae originis oppreſſos, ſe tamen adhuc *Romanos*, & *ciues Romanos*; omnesque prouincias, in quibus degerent, quantumuis a barbaris perdomitas, *Romaniam* vocaſſe. Ex quo facile patet, cur in manumiſſionum formulis apud Marculfum aliosque, manumiſſis etiam ea tempeſtate praeter libertatem concedatur *ius ciuitatis Romanae*: †† quod tamen tum in eo tantum conſtitiſſe arbitramur, quod iure Romano, ſi vellent, vterentur, neque inuiti adſtringerentur barbarorum, ceu vocabant, legibus. Dixi, iure Romano eos, ſi vellent, vti potuiſſe. Optionis enim ius vnicuique dabatur, qua potiſſimum lege viuere vellet, idque conſtituerat Lotharius Imp. ††† cuius haec eſt ſanctio: *Volumus, vt omnis Senatus & populus Romanus interrogetur, quali vult lege viuere, vt ſub ea viuat.* Ac proinde ſaepenumero factum eſt, vt ſententiam mutarent, &,

** qui

† *de Nobilit. Lib. I. Cap. XXVII. p. 107. ſequ.*
†† *Form. Lindenbrog. XCI. XCVI. XCVIII CI. Baluz. Adpend. Capitular. n. CV. Tom. II.*
††† *Capitul. ann. DCCCXXIV. Cap. V.*



qui ſe antea iuri Romano ſubmiſerant, poſtea aliam aliamque eligerent: id quod apud Langobardos potiſſimum viduae faciebant, viuis quippe maritis horum legibus adſtrictae, iisdem vero ſolutae, ſimulac ſolutum eſſet matrimonium. *

Quae de vſu iuris Romani in Germania, qualis ſaeculo XIV. fuerit, diſſeruimus, ** ea iam multis illuſtrari poſſent, maxime ex inſigni eius aeui monimento, puta PHIL. DE LEYDIS *libro de cura reip. & ſorte principantis*, primum Leidae MDXVI. impreſſo, poſteaque nitide recuſo Amſt. MDCCV. 4. Floruit hic Belga, teſtibus Deſſelio *** & Io. Meurſio, † adulto iam ſaeculo XIV, impetratisque Aureliae Doctoris Decretorum honoribus, primum ius pontificium Pariſiis aliquamdiu explanauit, poſteaque in Belgium redux, circa annum MCCCLXIX. in Guilielmi Bauari, Hollandiae Comitis aula conſenuit, fato functus anno MCCCLXXX. Ex eius libro paſſim adparet, quae tum fuerit iuris in Belgio ac Germania facies. Quantae tum dignitatis fuerint Doctores iuris ciuilis, quantumque ſplendorem, vel potius πολλὴν φαν-

τασίαν

* *Capit. Lothar. apud Baluz. Tom. II. Cap. XIV.*
** *Lib. II. §. 67. p. 416.* *** *Biblioth Belg. p. 775.* † *Athen. Batau. Lib. I. p. 72*

ταστίαν adfectarint, diſcimus ex caſu XXXIII. †† vbi proponit ſpeciem: *Quidam legiſta, non doctorizatus, nec legum dominus, nec Profesſor, impetrauit ab Imperatore, vt inſignia doctoralia deferret, videlicet AVRI ORNATVM in FRAENIS, CALCARIBVS & SELLIS EQVESTRIBVS; numquid conceſſum valet? Hic patet, quod non.* En Doctores eius ſaeculi, auſpiciis Imperatorum creatos, qui iure nobilibus proprio, fraena, ephippia & calcaria auro exornandi vtebantur. Quumque ſuo loco oſtenderimus, iurisperitos tum nihil reliqui feciſſe, vt vſum ac praeſtantiam artis ſuae vbique commendarent, quin eo factum eſſe, vt in vrbibus celebrioribus ſequente ſaeculo Syndicorum munere fungerentur: ††† idem multo citius in Gallia, Anglia & Belgio factum eſſe, ex eodem libello diſcimus. Ait enim: †††† *Similiter ad habendum initium legalis experientiae, eſſet & alia via, vt in quolibet bono oppido eſſet per principem ſtatutus vnus iurisperitus, cui prouideretur de congrua penſione, cuius prouidentia deciderentur ſingula, vt fit in Francia, Anglia, Flandria, & aliis ordinatis patriis.* Non ad-

†† *p. 99.* ††† *Lib. II. §. XCVII. p. 450.*
†††† *Caſ. LX. p. 121.*

iungit auctor Germaniam, cui potius alibi * ideo male ominatur, quod minor ibi ſit iurisperitorum copia, minorque auctoritas. *Notum eſt tamen*, inquit, *quod iſtud priuilegium pluribus priuatis conceſſum eſt, & obſeruatum propter defectum iurisperitorum, qui magnus eſt in regno Alamanniae, quod Principibus iſtis ad magnum cedit iuris & honoris detrimentum.* Non dicit, nullos ibi iurisperitos eſſe, (id enim falſum fuiſſet, ceu in opuſculo demonſtrauimus, **) ſed minorem tantum numerum, quam tanti imperii amplitudo exigere auctori videbatur. Fortaſſis etiam multos Germanorum Principes ciuitatesque adſpernari audiuit ciuilem illam ſapientiam, *miratos*, quod de maioribus noſtris memoriae prodidit Velleius Paterculus, † *ſolita armis diſcerni iure terminari.* Id enim ipſe ſubinnuere videtur Philippus noſter, dum porro ſcribit: †† *Et igitur bene felix patria, in qua plurimi praeſunt ſapientes. Hic ſumas argumentum, multum expedire reipublicae, viros habere litteratos, qui LEGES nouerint & IVRA MAIORVM. Et facit pro regno Franciae & contra ALLEMANNOS, qui ſtudia litterarum minus*

* *Caſ. XXXVIII. p. 121.* ** *Lib. II. §. LXVII. p. 416*
† *Vellej. Paterc. Hiſt. II, 118.* †† *Caſ. VI. p. 24*

minus frequentant, in ipsius reipublicae maximum incommodum, ruinam & iacturam. Hinc VIOLENTIA MAGNA publica deformatur vrbanitas: praesidet LVPORVM RAPACITAS, & ipsi Principes ignominiae subiacent, nec honorem & statum cognoscunt sibi ipsis & subditis suis imperandi. Vnde in politicis dicitur: Felix illa ciuitas, in qua philosophi sunt praesides. Nimirum maior tum erat Germanorum ferocia, quam vt statim nouitate incognitae disciplinae mansuescerent, sibique extorqueri paterentur arma, in quibus ius omne positum habebant, neque aequo animo ferebant, mores patrios a iuribus peregrinis in exsilium agi. Quod & ipse Philippus iniquum ratus eiusmodi iurisperitos rempublicam capessere volebat, *qui LEGES nossent, & IVRA MAIORVM,* id est, qui iuris patrii peritiam cum accuratiore iurisprudentia coniunxissent.

Sed ad alia properamus. In libro priore ††† de LIBRIS FEVDORVM, nec non de ANT. MINCVCCII & BARTH. BARATERII operibus feudalibus; in posteriore †† de IVRE FEVDALI SAXONICO & SVEVICO seu ALA-

 MAN-

††† *Lib. I. §. CCCXLV. p. 345. §. CCCXLVIII. p. 349.*
†† *Lib. II. §. LXXVI. p. 426. §. LXXXII. p. 432.*

MANNICO egimus. Sed & hic quaedam tunc ſe nobis ſubduxerunt, quae addita mallemus. Dici enim quaedam debuiſſent de IVRE FEVDALI OSNABRVGENSI, quod edidit illuſtris Academiae noſtrae Cancellarius, IO. PETRVS A LVDEWIG * cuius in has litteras merita grato animo agnoſcent poſteri, quamdiu iſtis ſuus honor erit, pretiumque, quo dignae ſunt, ſtatuetur. Notitiam præterea dare potuiſſem IVRIS FEVDALIS FLANDRICI, cuius Codex MSC. membranaceus, ſaeculo circiter XIV. nitide exaratus exſtat in bibliotheca publica Franequerana, haut parum illuſtraturus ea, quae de feudorum illorum indole a Iac. Curtio, ** Iac. Marchantio, *** Fridrico a Sande, † aliisque traduntur. Denique, quod maxime nollem, neſcio quo fato contigit, vt nihil dixerim de libro inſigni DE BENEFICIIS, quem ab illuſtri Eybenio acceptum, tamquam ἀνέκδοτον cum eruditis diſſertationibus de libri huius veteris auctore, fato, vetuſtate, raritate & vſu anno M DCC VIII. in Selectis feudalibus edidit CHR. THO-

* *Reliqu. MSC. Tom. II. p.297.* ** *Coniectur. ad Vinid. I, 18. II, 6.* *** *Deſcript. Flandr. libr. de feudal. Flandr. morib.* † *Conſued. Feud. Gelr. Tract. I. Tit. III. §. XII.*

THOMASIVS, edoctus poſtea ab aliis, eum iam pridem cum Franc. Duareni *Commentario in conſuetudines feudales* editum eſſe a Io. Hauichorſtio, Colon. Agripp. MDLXIX, 8. ſub titulo: *Liber vetuſtus de feodis, ſiue feudis, item de ordine placitationis & vrbano beneficio, per aphoriſmos diſtinctus.* †† Laudauerat eum iam Marquardus Freherus, ††† qui ſub Saxonicis Imperatoribus ſcriptum putabat, quod in eo feuda ſemper beneficia vocarentur. Eidem hac in re ſuffragatur laudatus Thomaſius, * eo inprimis motus argumento, quod nepotibus ius ſuccedendi in feudo negetur, ** quos tamen ad ſucceſſionem iam admiſerit Conradus Salicus Imperator. *** Contra Lotharii Saxonis temporibus auctorem vixiſſe cenſuit vir doctiſſimus, Nic. Hier. Gundlingius. * At rem omnem conficere videtur locus inſignis iſtius libelli, ** vbi dicitur, *Regem, quem*

†† *Summariſche Nachr. von auserleſenen Buchern. Part. XXIV. p. 1007. Thomaſ. Adpend. Sel. Feud. Tom. II. p. 429. ſequ.* ††† *Not. ad Conſt. de expedit. Rom. ad verba feodo ſuo.* * *Diſſ. de libri vet. de benef. auct. §. XXV. XXVI.* ** *§. V. XX. XXIV. XXV. XLIV. LXXVI.* *** *I. Feud. I, 1. 2.* * *in Diſſ. de vnione elector. §. XXI.* ** *§. VI.*

eligant Teutonici, quum Romam vadat ordinari, ſecum adducere debere *ſex principes, qui primi ſint in eius electione, vt pateret Apoſtolico Regis iuſta electio.* Hinc enim manifeſtum eſt librum hunc paullo poſt Lotharium ſcriptum ſub Conrado III. vel Fridrico Ahenobarbo. Ante Lotharium enim neminem Imperatorum iudicium de electione ſua Pontifici Romano detuliſſe, ſed ipſos potius Imperatores de Pontificum electione cognouiſſe, pluribus iam demonſtrauit Gundlingius. * Ex quo autem Lotharius ille Pontifici plurimum tribuere coeperat: hoc arbitrium ſibi vnice arrogabat Curia Romana, adeo, vt in Caerimoniali Romano ** legamus, *electum Regem, futurum Romanorum Imperatorem debere decretum electionis Pontifici oſtendere, hunc vero ſolere, viſo decreto, & examinata electione in ſacro Senatu, habitaque ſufficienti informatione, tam ſuper forma electionis, quam ſuper idoneitate & habilitate perſonae electi, per commiſſarios a ſe conſtitutos, ad inſtantiam dicti electi ipſum electum in ſpiritualem filium ſuum & eccleſiae Romanae ſuſcipere.* Sed notatu dignum eſt, auctorem

* *Gundlingian. Part. III. p. 216. ſequ.* ** *Caerimon. Rom. Lib. I. Sect. V. Cap. I.*

ctorem Caerimonialis, dum ſubiungere voluit exempla Imperatorum, qui hoc obſeruarint, non niſi *Carolum IV.* & *antea Henricum VII.* & *Albertum*, *eius praedeceſſorem*, & *Rudolphum*, nominare potuiſſe, adieciſſeque quidem, & *plures alios* id feciſſe, ſed non alios procul dubio intellexerit, quam Lotharium, eiusque aliquot ſucceſſores. Et quibus, quaeſo, temporibus magis conuenit numerus ille principum ſenarius, quam Conradi III. quibus, proſcripto Henrico Superbo, & dubia aliquamdiu Saxoniae & Bauariae poſſeſſione, vnus ex primariis Germaniae Principibus deerat, adeoq; ſex tantum ſupererant, quorum ſuffragia in eligendis Imperatoribus praerogatiua donari iam tum ſolebant. His ergo demum temporibus prodiit monimentum praeſtantiſſimum, ex quo pleraque decerpſiſſe iuris feudalis Saxonici & Alamannici auctores, iam ab aliis obſeruatum eſt. Nec in eo ego quidem quidquam deprehendo, quod iſti tempori minus conueniat, quum & beneficii vox ſequioris aeui ſcriptoribus non ignota ſit, & nepotes diſertis verbis a ſucceſſione excludantur nusquam, ſed ſub *filiorum* vocabulo commode ſatis comprehendi poſſe videantur.

Sed haec quoque ſcribentem, & plura tecum, LECTOR, confabulari volentem interpellant me operae, & praefationem non ſine conuicio flagitant. Abrumpendum itaque fuit filum, reliquis, quae dicenda ſupererant, alii occaſioni ſepoſitis. Tu itaque vale, meisque conatibus faue. Halae e muſeo prid. Kal. Octobr. MDCCXXXIII.

INDEX
ET SERIES CAPITVM.

LIB. I.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS ROMANI.

CAP.



HISTORIA IVRIS

LIB. I.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS ROMANI.

CAP. I.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS ROM. SVB REGIBVS.

§. I.

Romani initio sine lege & iure certo.

VRbs Roma, Albanorum colonia, sed magno aduenarum & dedititiorum concursu sensim suppleta, mores ac religionem maioris patriae, aliarum coloniarum exemplo, retinebat. * Quum vero illi in scripturam nondum essent redacti: *vrbs Roma initio sine lege, sine iure certo egisse* dicitur Pomponio. *l. 2. §. 1. ff. de orig. iur.*

* Diserte Dionys. Halic. Antiqu. I. p. 35 Romam vocat τῆς Ἄλβης ἀποικίαν, *Albanorum coloniam.* Et paullo post p. 57. τῷ δ' ἑξῆς ἔτει τοῦ Νομίτωρος ἀρχῆς, δευτέρῳ δὲ καὶ τριακοσιοστῷ μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἀποικίαν στείλαντες Ἀλ-

βανοὶ Ῥωμύλου καὶ Ῥώμου τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἐχόντων κτίζουσι Ῥώμην. *Altero deinde Numitoris anno post Ilium captum CCCCXXXII Albani, Romuli & Remi ductu, coloniam miserunt Romam.* Colonias vero Deos, mores, sacraque institutaque Metropoleon suarum sancte coluisse, pluribus exemplis docuit ill. Ez. Spanhem. de vsu & praest. numism. Tom. I. Diss. IX. p. 580. sequ.

§. II.

Id quomodo intelligendum?

Id vero nolim in eam partem interpreteris, ac si populus nullis plane legibus, nulla actionum norma, sub Romae incunabula vsus sit: (qui enim fieri potuisset, vt sine illa in ciuitatem coalesceret turba incondita, & extorris patria hominum colluuies?) sed sensus est, Romanos initio ius scriptum non habuisse. * Id quod commune illis fuit cum gentibus plerisque antiquissimis. Tacit. Annal. III, 26. Iust. Hist. I, 1. XI, 7. Porphyr. περὶ ἀποχ. III.

* Latam nimirum legem Pomponius vocat ius constitutum, idque opponit iuri incerto & consuetudini. Bynckersh. Praeterm. ad Pomp. l. 2. §. 3. ff. de Orig. Iur. p. 19. Similiter Dionys. Halicarnass. X. p. 627.

Οὔπω γὰρ τότε ἦν ὔτε ἰσονομία παρὰ Ῥωμαίοις, ὔτε ἰσηγορία, ὔτε ΕΝ ΓΡΑΦΑΙΣ ἅπαντα τὰ δίκαια τεταγμένα. *Nondum enim erat apud Romanos ius aequum omnibus ciuibus, nec omnibus ex aequo dicendi poteſtas erat, nec in ſcripturam relata erant iura omnia.*

§. III.

Regum arbitria defectum legum supplebant.

Quum vero in noua ciuitate permulta quotidie inciderent, quae ad mores illos antiquae patriae exigi ac componi non poſſent: res ipſa monebat, ea omnia temperanda eſſe Regum arbitriis *, quae vetuſtiſſimis mortalium pro legibus erant. Seneca Epiſt. XC. Iuſtin. Hiſt. I, 1. Atque inde eſt, quod Pomponius *omnia initio manu a Regibus gubernata*, dicit, d. l. 2. §. 3. ff. de orig. iuris.

* Dionyſ. Halic. Lib. X. p. 627. de Regibus: τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων τῦτο νόμος ἦν. *Ius ab illis conſtitutum pro lege erat.*

§. IV.

Hinc Edicta regia, pro lege erant.

Quidquid ergo fieri omittiue a ciuibus vellent Reges Romani: id propoſitis, vel per praeconem promulgatis EDICTIS, praecipiebant. * Idque dum faciebant, *manu omnia gubernare* dicebantur.

* Edictorum Regiorum, vel ALBI regii, passim meminerunt Scriptores veteres, veluti Liu. I, 32. & 44. Dionys. Hal. Antiqu. III. p. 178. IV, p. 216. V. p. 278. Itaque MANVS REGIA erat potestas regum, edicendi, quaecumque e republica videbantur, & quae legibus moribusque patriis nondum erant definita.

§. V.

Mox tamen leges flagitauit populus.

Ferebant eum reipublicae statum Romani, quia Reges ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio iustitiaeque gloria euexerat. Quandoquidem tamen, vti recte obseruauit Cic. ad Famil. Epist. IX, 16. *omnia incerta sunt, quum a iure discessum est, nec præstare quisquam potest, quale futurum sit id, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam, libidine:* non sane mirandum, ferocem populum, libertatisque cupidum, ac deinde Romulo, paullo post rigidius dominanti, infensum, mox LEGES flagitasse, * quas ipse curiatis comitiis probasset.

* Quemadmodum enim in monarchia adductiore principis arbitria pro lege sunt: ita libertatis argumentum est *si leges imperent:* Arist. Polit. III, 16. Hinc veteres scriptores

res ciuitates liberas, LEGVM; regna PRINCIPVM esse dicebant, *legibusque redditam* ciuitatem iudicabant, quae se in pristinam libertatem adseruerat. Loca plura Lucani, Quinctiliani, Claudiani, aliorumque collegit. Io. Frid. Gronou. in Papin. Stat. Silu. Diatribe I, 2. p. 11. sequ.

§. VI.

Id enim vel ideo iure quodam suo postulabant Romani, quod Romulus non merum principatum instituerat, ceu ex male intellectis locis Taciti Annal. III, 2. & l. 2. §. 1. ff. de orig. iur. vulgo colligunt: sed summum imperium ita communicauerat cum patribus & populo, vt ipse Senatui praeesset, populum in comitiis rogaret; bella administraret, & in vrbe ius diceret: patres de republica secum consilia caperent, magistratusque gererent: populus denique in comitiis de legibus ferendis itemque de bello ac pace, nec non de honoribus decernendis suffragia ferret. * Dionys. Halic. Lib. II. p. 87. *Idque ob reip. formam.*

* Vnde recte L. Ampelius Lib. Memor. Cap. L. rerumpublicarum tria esse genera tradit: esse *vero & quartum genus, quod Romani commenti sint, vt ex his tribus vnum efficerent.* His non contradicit Pomponius,

cui frustra ideo enchiridion vel l. 2. ff. de orig. Iur. abiudicat Scip. Gentil. de Principe Rom. §. 11.

§. VII.

Hinc leges ferebantur curiatae.

Hinc iam ipse Romulus *leges quasdam curiatas ad populum tulit. l. 2. §. 2. ff. de or. iur.* Quum enim ipse populum vniuersum primum in tres TRIBVS, *Tatiensem, Lucerem & Ramnetem*, & has deinde in triginta CVRIAS descripsisset: Fest. in curiae. Dionys. Hal. II. p. 82. seq. quoties leges ferendae erant, populum vocabat in comitia, peractisque sacris, si addicerent auspicia, eum rogabat: VELITIS IVBEATIS, ROMANI, (Quirites enim a Romulo demum, iam in caelum, vti fingebant, rapto cognominabantur: Flor. Hist. I, 1.) VT &c. Tum curiae ibant in suffragia, & quod plures earum sciuerant, id pro lege erat, ac proinde lex curiata vocabatur. * Vnde lucem capit definitio legis *§. 4. Inst. de I. N. G. & C. Lex est, quam populus Romanus, Senatorio magistratu* (tunc rege) *rogante, constituebat.*

* Videntur leges CVRIATAE ad Seruii tantum Tullii imperium obtinuisse. Is enim

enim & comitia CENTVRIATA instituit, vt potentiorum & opulentiorum suffragia plebis infimae & proletariae consiliis praeualerent, & postea pleraque per comitia centuriata explicauit. Accessere postea TRIBVTA, in quibus plebiscita in primis perferebant Tribuni plebis. *Lex* ergo *curiata*, libera rep. mutata vocabuli notione, dicebatur, qua magistratibus maioribus imperium militare auspicii caussa deferebatur. Liu. V, 46. IX, 38. De qua lege curiata inter Car. Sigonium & Nic. Gruchium, viros doctissimos, acrem intercessisse disputationem, nouimus.

§. VIII.

Exempla legum Romuli.

Talium legum curiatarum, a ROMVLO perlatarum, vestigia passim exstant, non quidem in vetere tabula, quam Franc. Balduinus a Io. Barth. Marliano acceperat, quamque recentiorem esse, satis constat: Vid. Schub. de Fat. Iurispr. Rom. Exerc. I, 38. p. 64. sed apud auctores veteres, * ex quibus eas sollicite collegerunt cum alii, tum Iustus Lipsius, Ant. Augustinus, Fuluius Vrsinus, Franc. Balduinus, & his omnibus accuratior Paull. Merula de Legib. Rom. Cap. II. sequ.

* Tales leges apud Dionys. Halic. II. p. 95. sunt sequentes: *Mulier nupta, quae secun-*

 dum

dum sacras leges conuenit in manum, particeps bonorum sacrorumque esto. Patri in liberos ius vitae & necis, illosque ter venundandi ius esto: tertium venditi e potestate patria exeunto: Sordidas sellulariasque artes ciues ne faciunto, sed studiis militaribus reique rusticae vacanto. Temetum mulier ne bibito. Alii has addunt: *vt patronus qui quid in clientis fraudem egerit, sacer esset. Seru. ad Virgil. Aen. VI. v. 622. Quod natum erit parentes tollunto, monstrosos partus sine fraude exponere ius esto. Moenia sancta sunto: Plut. Romul. p. 30.* Est quoque fragmentum de nuruum in soceros saeuitia apud Festum inplorare: cui legi ferociam Sabinarum raptarum occasionem dedisse, acute colligit Merula de Leg. Cap. II. § 41. Reliqua Romuli instituta ad sacra, formamque reip. adeoque ad Ius publicum, pertinent.

§. IX.

Nec non a Numa, Tullio Hostilio & sequentibus regibus latarum.

Sed & sequentes Reges eiusmodi leges curiatas ad populum tulerunt. Et NVMA quidem potissimum eas, quae ad sacra Deorumque cultum pertinent, adiecit. quas & in octo libros collectas edidit. * Dionys. Halic. II. p. 123. sequ. Tac. Annal. III, 26. De TVLLI HOSTILII legislatione testatur Dionys. II, p. 93. qui

qui praecipue memorat eiusdem legem de tergeminis ad pubertatem vſque ex publico alendis. Id. Lib. III. p. 160. ANCVS MARCIVS NVMAE praecipue aui inſtituta in vſum reuocaſſe fertur. Liu. I, 32. TARQVINII PRISCI lex, quae ad ius priuatum pertineat, nulla a veteribus deſcribitur: at multo plures SERVII TVLLII non quidem curiatae, ſed centuriatae, laudantur, ** quas deinde omnes vno edicto ſuſtulit, ſuoque omnia arbitrio iterum egit verus non modo παμβασιλεὺς, ſed tyrannus, TARQVINIVS SVPERBVS.

* At iſtis inſtitutis ſacris, quibus, ſimulato nocturno cum Aegeria congreſſu, robur addebat; Liu. I, 19. Dionyſ. Halic. II. p. 122. callide vtebatur Numa, ad auctoritatem legibus ciuilibus conciliandam. Sic, vt vites diligentius putarent ciues, ſanxerat, *ne quis Diis ex vite imputata libaret.* Plin. Hiſt. Nat. XIV, 12. XVIII, 12. Ne deinde inſanos ſumtus in ſepeliendis cadaueribus coenisque facerent, inſtituerat, *ne quis vino rogum reſpergeret.* Plin. Hiſt. Nat. XIV, 12. neue piſces, niſi ſquamoſos, ad pollucttum emeret. Plin. Ibid. & XXXII, 11. Porro ne terminos mouerent, neue pel-

 licatu

licatu se polluerent, aut in contrahendis negotiis fidem fallerent, callide instituerat, *vt terminus Deus esset, & si quis terminum exarasset, ipse cum bouibus sacer esset. Dionys. Hal. II. p. 133. Festus voce Termino,* Vlr. Obrecht de termino Deo, *ne pellex aram Iunonis tangeret, Festus in pellices,* denique *vt fidei numen omnes metuerent,* Liu. I, 21. Dionys. II. p. 134. Propriæ tamen ad ciuiles leges Numae pertinent, *vt si quis liberum hominem dolo malo occidisset, parricida haberetur, sin imprudens, in concione pro capite occisi, & natis eius, arietem offerret, Festus in Parricida.* itemque, *vt si filiusfam. volente patre vxorem duxisset, patri vendundi eius potestas ne esset: Plutarch. in Numa p. 71. ne vidua intra annum luctus nuberet, Plut. ibid. postremo ne mulier si praegnans mortua fuerit, nisi exciso partu humaretur. l. 2 ff. de mort. inf.*

** Seruius Tullius non modo Romuli & Numae leges reuocauit in vsum: Dionys. Halic. IV. p. 216 & 220, sed & nouas sanxit, veluti de iudiciis, Idem IV. p. 228. de libertinis ciuitate donandis, Id. IV, p. 226. Cic. pro Corn. Balbo Cap. XXIV. de ciuibus ob aes alienum in vincula non ducendis, Dionys. Hal. IV. p. 215. de filio patrem verberante, Festus in plorare. denique de contractibus & iniuriis priuatis. Dion. IV. p. 216. Ceterum idem Dionys.

p. 228.

p. 228. auctor est, vti in toto imperio suo, ita in ferendis legibus, tam popularem fuisse Seruium Tullium, vt non modo de patrum potentia, sed & de regia potestate dimidium detraxisse videretur.

§. X.

Eae obtinuerunt vsque ad Tarquinium Superbum.

Sed regnari desiit Roma, ex quo TARQVINIVS SVPERBVS, ex magno imperio non nisi maximam retinens licentiam, euersis legibus, oppressaque libertate, ciuium suorum odia incurrit, regno ciuitateque pulsus anno V. C. CCXLIV. Flor. I, 7.

§. XI.

Legum regiarum indoles.

Ex quibus omnibus facile intelligitur, leges Regum Romanorum fuisse paucas, easque priscam simplicitatem vbique redoluisse, fini tamen reip. qui in potentia bellica adquirenda consistebat, * si pauca Numae instituta exceperis, adeo callide accommodatas, vt ipsis Graecorum legislatoribus Romulum anteferre non dubitet Dionys. Halic. II. p. 94. sequ. Confer. V. C. Ge. Christ. Gebaueri Romul. III. §. 6. 7.

* Fuit ergo noua resp. ex earum numero, in quibus legislatorum finis fuit, ὅτι πάντα

πρὸς

πρὸς τὸ κρατεῖν καὶ πρὸς πόλεμον ἐνομοθέτησεν. *vt cuncta ad vincendum apta & ad bellum gerendum legibus instituerent*: de quibus bellicis rebuspublicis pluribus egit Aristot. Polit. VII, 14. Hert. Element. doctr. ciu. II, 10, 1. p. 427. sequ. Quum enim nec ager Romanis admodum amplus, nec artificum in promiscua turba magna multitudo, nec portus ad commercia instituenda commodus esset: facile animaduertebat Romulus, neque agriculturam, neque opificiorum culturam, neque opes, ex commerciis quaerendas, finem esse posse nouae reipublicae, ac proinde ipse ciuibus, tanquam genuinum reip. nouae finem commendabat ἐν μὲν τοῖς ὀθνείοις πολέμοις τὸ διὰ τῶν ὅπλων κράτος, ἐν δε ταῖς ἐμφυλίοις ταραχαῖς τὴν ὁμοφροσύνην, καὶ σώφρονα, καὶ δίκαιον ἑκάστου βίον. *in externis bellis armorum potentiam: in ciuilibus vero tumultibus concordiam, iustitiamque ac temperantiam.* Dionys. II. p. 79. Et ad hunc finem plerasque Regum Rom. leges comparatas esse, facile animaduertes. Plerasque dico. Numam enim id praecipue egisse vt ferocem populum ad pacis studia paullatim inflecteret, iam supra diximus.

CAP.

CAP. II.

DE STATV IVRIS ROMANI A REGIBVS EXACTIS VSQVE AD LEGES XII TAB.

§. XII.

Pro regibus bini Consules creati.

REgibus lege Tribunicia, id est, a Iunio Bruto Trib. Celerum lata exactis, eorum loco bini Consules reip. praeerant, eadem auctoritate potestateque, ac olim ipsi Reges, adeo, vt, si a vocabulo, numero ac dignitatis istius diuturnitate discesseris, nihil omnino de regio imperio deminutum videretur.* Liu. II, 1. Vnde etiam consulatus alibi *regiae maiestatis imperium* vocatur. Liu. IV. 2. Nam pro perpetuo annuum placebat, pro singulari duplex, ne potestas vel mora vel solitudine corrumperetur, consulesque adpellabant pro Regibus, vt, consulere se ciuibus suis debere, meminissent. Flor. I, 9.

* Vere ergo manebat forma reip. pristina. Regia enim potestas penes consules erat. Patribus salua erant, quae habuerant, iura: nec populo ius de legibus, honoribus, bello ac pace statuendi ademtum fuisse, legimus.

mus. Quia tamen Consules initio patricii tantum generis eligebantur, nec in senatum plebi via adhuc patebat: facile adparet, initio id egisse Coss. & patres, vt, mutata reip. forma oppressaque plebe, ἀριστοκρατίαν quandam sensim instituerent. Prodidit haec consilia Appius Claudius, qui obiurgatus a Valerio ob calidiora illa consilia, se ita defendit: Ἃ δὲ εἰς χαλεπότητα καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων προστασίαν ὠνείδισέ μοι, μισόδημόν τε καὶ ὀλιγαρχικὸν ἀποκαλῶν, ὅτι ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΙΑΣ περιέχομαι, κοινὰ πάντων ὑμῶν ἐστι κατηγορήματα. *Quod autem me difficilem appellauit, & malorum hominum antesignanum, infensumque plebi, & paucorum potentiae studiosum, quod OPTIMATVM REGIMEN tuear, communia mihi vobiscum sunt crimina.* Dionys. Halic. VI. p. 386. sequ.

§. XIII.

Qualis tum iuris Rom. facies?

Iam quae ab eo tempore fuerit iuris Romani facies, paucis ita describit Pomponius: *Exactis deinde regibus lege tribunicia, omnes leges hae exoleuerunt, iterumque coepit populus Romanus incerto magis iure & consuetudine ali, quam per latam legem: idque prope VIginti * annis passus est. l. 2. §. 3. ff. de orig. iur.*

* Non

* Non congruit annorum numerus. Ab exactis enim Regibus ad conditas XII Tabulas non viginti, ſed ſexaginta anni, elapſi ſunt, vt probabile ſit, primam ſyllabam in *VIginti*, maiusculis litteris ſcriptam, notam numeri ſenarii fuiſſe, legendumque eſſe *ſexaginta.* Vid. Bynckersh. Praetermiſſ. ad *d. l. 2. p. 21.*

§. XIV.

Pro moribus tamen adhuc valuere leges Regiae.

Enimuero hoc denuo non ita accipiendum, ac ſi interiecto tempore exleges vixerint Romani. Quum enim *ius incertum* Pomponius *legi latae* opponat: ſenſus eſt, leges Regias non amplius tanquam ius ſcriptum viguiſſe, ſed ciues tantum iure non ſcripto, vel moribus patriis, vixiſſe. (§. II.) Tantum enim abeſt, vt Regum leges, vel populi ſcito abrogatae ſint, vel non vſu exoleuerint, (quod ſatis refellunt alii, & in his Rupert. ad Pompon. Enchirid. Cap. IV. p. 66. ſequ.) vt permultas a primis Coſſ. confirmatas, quasdam etiam in ipſas XII tabulas migraſſe, ſatis conſtet. *

* Dionyſ. Halic. V, p. 278. τὰς περὶ τῶν συμβολαίων τὰς ὑπὸ Τυλλίου γραφέντας, φιλανθρώπους καὶ δημοτικοὺς εἶναι δοκοῦντας, οὓς ἅπαντας κατέλυσε Ταρκύνιο

κύνι©, ἀνενεώσαντο. *Leges Tullii de contractibus, humanas admodum & populares, quas in vniuersum Tarquinius sustulerat, reuocarunt in vsum.* Et paucis interiectis: καὶ τἄλλα πράττειν, ὅσα κατὰ τοὺς προτέρους ἐθισμοὺς ἔπραττον, ἀπέδοσαν. *Ceteraque omnia secundum priscas consuetudines facere permiserunt.* Non ergo valebant amplius leges Regiae, tanquam ius scriptum, nisi quatenus de nouo legibus sacratis firmatae. Et hinc *ius patriae potestatis*, quod ex ipsa Romuli lege esse notauimus, (§. VIII.) *MORIBVS esse receptum*, testatur Vlpianus *l. 8. ff. de his qui sui vel alien. iur.*

§. XV.

Hinc ius Papirianum.

Et quis dubitet, quin & post Tarquinii exsilium, legum Regiarum vsus haut exiguus fuerit, cum iisdem temporibus eas singulari opere collegerit C. Papirius? * sane si nullus earum legum vsus superfuisset, Papirius eas colligendo magno conatu maximas egisse nugas videretur. Ius istud Papirianum, quod sexto libro leges ciuiles, reliquis sacras comprehendisse videtur, luculento commentario illustrarat GRANIVS FLACCVS, *l. 144. ff. de verb. sign.* aequalis Iulio Caesari scri-

ptor,

ptor, ceu ex Cenſorin. de die natal. Cap. III. oſtendit V. C. Car. Andr. Ducker de vet. ICt. Lat. p. 156. Ex eo Granii commentario, non ex ipſo iure Papiniano, decerptum videtur fragmentum bene longum apud Macrob. Saturn. III, 11.

* Eius meminit Dionyſ. Halic. III, p. 178. additque, eum leges Numae poſt Ancum Regem in vſum reuocaſſe. Non ergo *Sexti* praenomen habuit, ſed *ſexto libro* complexus eſt leges ciuiles, quum reliqui de iure ſacro agerent: idque vel inde probatur, quod teſte Cuiac. ad *l. 2. §. 2. ff. de or. iur.* in codicibus MSS. legitur: *in libro VI Papirii.* vt facile numerus libri in praenomen auctoris tranſierit. Non magis verum eſt, Papirium iſtum dictum eſſe Publium, quod praenomen occurrit *in l. 2. §. 36. ff. eod.* niſi ibi legendum *imprimis peritus publici iuris* (pro Publius) *Papirius.*

§. XVI.

Pauciores tamen fuiſſe regias leges, quam quae in noua iſta reip. forma ſufficerent, facile eſt ad intelligendum. Hinc quemadmodum initio Reges pleraque, de quibus lex non exſtabat, MANV, (§. III.) id eſt, propoſitis edictis, *gubernabant:* (§. IV.) ita Conſules, non minore, quam *Quae deerant, edictis ſupplebant Coſſ.*

B re-



reges, auctoritate praediti, (§. XII.) edictis pleraque temperabant. *

* Rem omnem conficit locus Dion. Halic. X. p. 627. ὡς δὲ ἐπαύσαντο μοναρχούμενοι, τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὑπατεύουσιν ἀνέκειτο τά τε ἄλλα τῶν βασιλέων ἔργα, καὶ ἡ τοῦ δικαίου διάγνωσις, καὶ τοῖς ἀμφισβητοῦσι πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁτουδήτινος ἐκεῖνοι τὰ δίκαια οἱ διαιροῦντες ἦσαν. τούτων τε τὰ μὲν πολλὰ τοῖς ἐπιτρόποις τῶν ἀρχόντων ἀριστίνδην ὑποδεικνυμένων ἀκόλουθα ἦν ἐπὶ τὰς ἀρχάς. Quae ita vertenda: *Imperio regio cessante, eoque ad annuos magistratus translato, inter cetera Regia officia iuris quoque cognitio ad eos translata est, atque illi, lite inter litigatores, quacunque de caussa, orta, iura reddebant. Huius autem iuris magna pars erat penes summos magistratus, & tanquam tralatitium ius ad successores migrabat.* Sensus ergo est, summos magistratus, id est, Coss. deficiente lege, pleraque edictis constituisse, eaque edicta, tanquam tralatitia, postea a successoribus seruata esse. Quod tum demum intelligemus rectius, quum de edictis fuerit dicendum.

§. XVII.

Tribuno- At his Consulatus luminibus non parum

rum offecit nouus honor TRIBVNORVM PLEBIS, quos plebs, patriciorum truculentia ad seditionem consternata, facta anno statim XVI post exactos Reges secessione in montem sacrum, extortisque quinque legibus sacratis, de quibus accuratissime Sigon. de Iur. Ciu. Rom. I, 6. p. 26. ex suo ordine impetrauerat. Liu. II, 32. Val. Max. VIII. 9, 7. Flor. Hist. I, 23. His enim creatis, initio numero quinque, postea decem, Liu. III, 30. patres non modo consilia sua de constituenda aristocratia turbata, sed & legislatoriae potestatis partem non minimam in plebem translatam, cum indignatione viderunt. *rum plebis origo & potestas.*

§. XVIII.

Ex eo tempore frequentissimi furores Tribunorum, non modo aduersus impotentem patrum potentiam quauis occasione concionantium, verum etiam nouas subinde rogationes ferentium ad plebem, quas quippe ad minuendam Senatus auctoritatem comparatas, plebs tributim ratas esse iubebat facile, nisi vnus vel alter e collegio reliquis intercederet, quod fieri potuisse, nemo ignorat. Liu. IV, 49. VI, *Vnde plebiscita orta?*

35. Dionyſ. Halic. X. p. 658. Quaecunque vero plebs, plebeio illo magiſtratu rogante, conſtituerat, PLEBISCITA vocabantur: *§. 4. Inſt. de I. N. G. & C.* quemadmodum LEGES, κατ' ἐξοχὴν ita dictas, POPVLISCITA eleganter vocat Corn. Nep. Alcibiad. Cap. V.

§. XIX.

Lex Ateria Tarpeia.

Rariores ergo hoc interuallo temporis erant LEGES, proprie ſic dictae, nec poſt illas Iunii Bruti, primi conſulis, alia fere memoratur, quam ATERIA, TARPEIA, qua anno V. C. CCC. comitiis centuriatis lata cauebatur, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν. τὸ μέντοι τίμημα οὐκ ἐπὶ αὐτοῖς ζημιοῦσιν, ὁπόσον εἶναι δοκεῖ, κατέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν, μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα. *Vt liceret omnibus magiſtratibus ſuae poteſtatis laeſae reos mulctare: mulctae tamen modus non mulctantium arbitrio relictus eſſet, ſed ab ipſis praefinitus,* ne ſcilicet mulcta quantumuis grandis, duos boues & triginta oues excederet.* Dion. Halic. Lib. X. p. 674.

* Atque

* Atque inde postea nata edicta Praetoris: SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERARIT, *l. 1. ff. si quis ius dic.* itemque: SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT, QVVM IRE EVM OPORTERET, VT IS IN MVLCTAM PRO IVRISDICTIONE MAGISTRATVS CONDEMNETVR. *l. 2. pr. & §. 1. ff. si quis in ius voc. non ier.*

§. XX.

Lex Terentilla de legibus scribendis.

At tanto frequentiora tunc prodibant PLEBISCITA, quamuis pleraque ad ius publicum magis, quam ad priuatum, pertinerent. Quum enim Consules regiam maiestatem adfectarent; Tribuni plebis eamdem populo vindicarent: ferocissimus eorum, C. Terentius, anno V. C. CCXCIII. ad plebem tulit, *vt quinque viri crearentur, legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se ius dederit, eo consulem vsurum.* Liu. III, 9. Quin, *vt iuri de omnibus negotiis publicis aeque ac priuatis scribendo decemuiri crearentur*, eum rogationem proposuisse, tradit Dionys. Ant. Rom. X. p. 629.

§. XXI.

SC. de legatis in

Magna inde seditionum materia, nec patribus plebi, nec plebe patribus quid

 quam

Graeciam mittendis, plebiscito firmatum. quam concedere volentibus. Demum anno V. C. CCC. auctore T. Romilio, factum SC. vt Legati mitterentur in Graeciam, qui describerent leges Graecarum ciuitatum, ex quibus deinde Decemuiri legibus ferendis, extra ordinem creandi, corpus aliquod Romanarum legum conficerent. Id quod deinde, rogante Sicinio, Tribuno plebis, plebiscito firmatum est. Dionys. X. p. 675. sequ.

§. XXII.

Ii in Graeciam missi leges descripserunt. Missi itaque eodem anno in Graeciam legati, non decem, vti Pomponius *l. 2. §. 4. ff. de or. iur.* scribit, sed tres, SP. ALBVS, A. MANLIVS VVLSO, & SER. SVLPICIVS CAMERINVS magnum inde insequente anno retulerunt legum peregrinarum farraginem, quae vel praecipuus postea fundus fuit XII Tabularum. * Dionys. Hal. X. p. 676. Liu. III, 31.

* At ex quibus ciuitatibus petierunt leges? Liu. III. 31. *Athenas* exprimit, *& alias Graeciae ciuitates.* Tac. Annal. III, 27. *accita* ait, *quae vsquam egregia.* Dionys. vero l. c. id restringit ad *Graecas vrbes, quae erant in Italia,* id est, ad magnae Graeciae ciuitates. Lacedaemonem tamen addunt Plin. Ep. VIII, 24. Athenaeus

De-

Deipnoſoph. VI, 21. Amm. Marcellin. XVI, 5. quamuis id neget Auguſtinus de Ciuit. Dei II, 16. eique adſtipuletur Galuan. de vſufr. VI, 5. Gothofr. ad XII. Tab. p. 63. Tom. III. Theſ. iur. ibique celeb. Otto in praef. p. VI. qui accurate diſquirit, quibus ex ciuitatibus leges tum Romani petierint?

§. XXIII.

Reuerſis Romam legatis cum illa farragine, creati ſunt DECEMVIRI legibus ferendis, quorum veluti anteſignanum APPIVM CLAVDIVM fuiſſe, conſtat. Et hi quidem acceptum ſummum imperium initio tanta moderatione animi adminiſtrabant, vt paene populares viderentur. Per otium ergo componebant X Tabulas, interprete vſi Hermodoro, viro prudente, Epheſo tum exſule, ſtatuam ob operam Decemuiris nauatam merito, teſte Plin. Hiſt. Nat. XXXIV, 5. * Eas, anno V. C. CCCIII promulgatas populo, & omnium centuriarum ſuffragiis probatas, ac demum tabulis ſiue *eboreis l. 2. §. 4. de or. iur.* ſiue *roboreis*, ac poſtea *aeneis* inſcriptas, pro ROSTRIS, (id eſt, eo loco, cui poſtea elapſis plus quam centum annis, roſtra Antiatium nauium fixae no-

Inde potiſſimum compilatae Leges X. Tabularum.

men fecerunt, Plin. Hist. Nat. XXXIV, 5. Rupert. ad Pomp. Cap. V. p. 85.) proposuere. Liu. III, 34. 57. Dionys. X. p. 681. *d. l. 2. §. 4. ff. de orig. iur.*

* Non itaque Hermodorus *auctor Decemuiris fuit ferendarum legum*, vt refert Pompon. *d. l. 2. §. 4. de orig. iur.* nec ipse *leges Romanis scripsit*, quod visum Straboni Lib. XIII. sed *interpres* Decemuirorum fuit, vti eum vocat Plinius. Et opus sane erat interprete legum peregrinarum hominibus, nulla procul dubio Graecorum sapientiae, aut institutorum cognitione imbutis. Nec tamen hunc Hermodorum intelligit Pontifex, dum *c. 5. X. de praescript. Ephesinum legislatorem* memorat, vti existimat Guil. Maran. de Aequit. p. 36. sed Theodosium Imp. qui Ephesinum concilium conuocauerat. Vid. Ciron. Obs. I, 15. & Cel. Otto Ibid. p. III. Hunc enim Imp. praescriptionis tricennalis auctorem esse, praeclare docuit Gonz. Tellez ad illud cap. 5. Tom. II. Part. II. p. 678. vt mirum sit, eum postea cum Io. Sauarone ad Sidon. Epist. VIII, 6 textum sollicitare, & pro *Ephesinus legislator* rescribere *Eugenius legislator.*

§. XXIV.

Quum deinde in tyrannidem abiret il-

lud

lud Decemuirorum imperium, ac proinde populus magno reliquarum tabularum desiderio teneretur: insequente anno V. C. CCCIIII additae sunt duae postremae, Dion. Halic. X. p. 683. vt tota illa legislatio XII tabulis constaret, haeque *fons vniuersi iuris publici priuatique* haberentur. Liu. III, 34.

Postea adiectae duae aliae.

§. XXV.

Nec tamen ex solis peregrinis legibus nouuum istud iuris Romani corpus confectum est: * sed plurima in illud migrarunt ex legibus moribusque patriis, ceu exemplo patriae potestatis iam supra (§. XIV.*) vidimus. Idem de lege, quam de patronis & clientibus tulerat Romulus, adfirmat Seru. ad Virg. Aeneid. VI. v. 622. de Numae quibusdam Fest. in Murrata. Vnde Dionys. Halic. II, p. 97. monet, leges Regias in XII tabulis repetitas, & Lib. X. pag. 681. idem a Decemuiris compositas esse leges, docet ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν. *tum ex Graecorum iure, tum ex patriis consuetudinibus.* Vnde non mirum, Romanos, excisa a Gallis vrbe,

In iis tamen & leges regiae & mores patrii.

be, etiam leges Regias cum XII tabulis per Italiam conquisiuisse. Liu. VI, 1.

* Non leuem quorundam reprehensionem incurrit hoc Romanorum consilium, quod peregrinas Graecorum leges adsciuerint, quia non omnes leges omni quadrare reip. ex ciuilis prudentiae principiis constet. Enim vero *primum* non omnes illae leges fuere peregrinae: sed plerisque Romae iam pridem sua constitit auctoritas. *Deinde* non promiscue ex illa Graecarum legum farragine corpus quoddam informe composuerant Decemuiri, sed, prudente adhibita ἐκλογῇ, ea tantum, quae concinna Romanae Reip. videbantur, in XII tabulas retulerant. *Tum* porro non omnes Graecorum leges seruabant integras, sed easdem seuere emendabant, suaeque accommodabant reipublicae, ceu ad oculum patebit, si quis opera eruditorum, quibus Solonis Romanorumque instituta inter se compararunt, inprimis Pandulphi Prateii *Iurisprudentiam veterem*, Tomo IV. Thesauri Iur. recusam, euoluerit. *Denique* in tanta patrum ac plebis aemulatione ipsam necessitatem hoc consilium Romanis extorsisse, satis patet ex oratione Romilii apud Dionys. Halic. X. p. 676. vt taceamus, & alias gentes peregrina instituta non improbasse. Lycurgum enim a Cre-

Cretensibus leges suas accepisse, in vulgus notum est. Charondae quoque & Zaleuci leges non nisi quamdam exterorum institutorum συλλογὴν fuisse, obseruat Diodorus Sic. Bibl. XII, 11. Adde, Rom. in adsciscendis exterorum institutis prudentiam miris laudibus celebrari a viris grauissimis, in primis a Sallustio. Bell. Catil. cap. LII.

§. XXVI.

Leges XII. Tab. constanti vsu viguerunt.

Leges istae XII Tabularum, scriptae quidem verbis antiquis, non tamen in metrum vel carmen redactae, (vid. Cel. Otto praef. Tom. IV. Thesauri Iur. p. VI.) postea constante vsu viguerunt, & permulta iuris nostri capita inde habuere originem, adeo, vt & Ciceronis tempore, qui iurisprudentiae operam dare vellent, ipsa legum illarum verba, tanquam *carmen necessarium*, ediscere cogerentur. Cic. de Leg. II, 23.

§. XXVII.

Pauca tamen capita abrogata lege Aebutia.

Ast quum tamen quaedam in illis redolerent rigidiores priscorum mores: detersa paullatim illa vitae austerioris rubigine, populus capita quaedam abrogauit lata LEGE AEBVTIA. Gellius Noct. Att. XVI, 10. de cuius origine, * indole

atque

atque occasione curatius egit V. C. Abrah. Wieling. de Furto per lanc. & lic. concepto Cap. VI. p. 94. sequ. quamuis aetas incerta maneat.

*Attulit vir doctissimus, Charondas, lapidem, ex quo, si genuinus est, eius legis historia praeclare illustrari posset:

L. AEBVTIVS. TR. PL. VIR. POPVLARIS. LEGEM. TVLIT. AD. POPVLVM. VT. XII. TABB. CAPITA. QVAE. INVTILIA. ESSENT. REIP. TOLLERENTVR. QVAE. LEX. MVLTIS. CONTRADICENTIBVS. TANDEM. ROGATA. EST.

Sed vereor, ne a recentiore & falsaria manu sit totum istud monimentum, mirorque, laudatissimum Wielingium illud pro genuino habuisse.

§. XXVIII.

Commentarii in Leges XII. Tab. scripti.

Quum ergo perpetuo fere vsu vigerent leges istae antiquissimae: non mirum est, eas commentariis suis certatim illustrasse ICtos veteres, SEX. AELIVM, L. ACILLIVM, L. AELIVM (non *Laelium* vti vulgo scribunt. Vid. Turneb. ad Cic. de Legib. II, 23.) MESSALLAM, LABEONEM, CAIVM, SERV. SVLPICIVM, quin fortassis etiam ATEIVM CAPITONEM,

NEM, quem Plin. Hist. Nat. XIV, 13. *Scaeuolae* & *L. Aelio* iunxit.

§. XXIX.

Earum interitus.

Quamuis vero permultis saeculis canescerent XII illae Tabulae, & Cyprianus Ep. II, 2. adhuc tertio saeculo Christiano eas publice exstitisse, testetur, quin saeculo adhuc sexto integrae procul dubio superfuerint in CAII commentariis, ex quibus aliquot fragmenta Tribonianus in Pandectas retulit: * periere tamen illae in ista temporum caligine, quam barbarorum irruptio in prouincias Romanas inuexerat, praeter paucissima, quae passim apud veteres scriptores supersunt, fragmenta.

* Fragmenta ex Caii δωδεκαδέλτῳ supersunt tantum sequentia, *l. 1. ff. de or. iur. l. 18. l. 20. l. 22. ff. de in ius voc. l. 6. ff. si quis caut. l. 2. l. 4. ff. arb. furt. caes. l. 48. ff. de pactis. 43. ff. ad L. Iul. de adult. l. 9. ff. de inc. l. vlt. ff. de colleg. l. vlt. ff fin. reg. l 3. ff. de litigios. l. 19. ff. de vsur. l. 233. l. 234. l. 235. l. 236. l. 237. l. 238. ff. de verb. sign.* Ex quibus locis patet, integrum hoc opus exstitisse temporibus Iustiniani, quum fragmenta illa ex omnibus sex Commentariorum libris, a CAIO scriptis, decerpta, videamus.

§. XXX.

§. XXX.

Et restitutio. Hinc nihil reliqui fecerunt viri docti, vt opus insigne, &, iudice Cicerone de Orat. I, 44. *omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponendum*, pristinae integritati, quoad fieri posset, restituerent. Longum eorum catalogum texuimus in Ant. Rom. prooem. §. V. similemque reperies apud V. C. Eu. Ottonem in praef. Tom. III. Thesauri Iur. p. XXIX. Sed omnium industriam superauit Iurisconsultus eximius, IAC. GOTHOFREDVS, qui *in Fontibus quatuor iuris ciuilis*, in illo Tomo III. Thesauri Iuris recusis, non modo fragmenta cum cura collegit, eaque ab ICtorum interpretamentis accurate separauit, sed &, quo ordine illa singulis in tabulis collocata fuerint, ostendit, omniaque ex fontibus ipsis probauit, notisque illustrauit doctissimis. *

* Attamen & post huius messem spicilegia haut poenitenda instituit laudatissimus Eu. Otto in praef. p. XXXI. sequ.

§. XXXI.

De quibus rebus singulae ta- Ex hoc vero IAC. GOTHOFREDI quantiuis pretii opere patet, *primam* tabulam leges de in ius vocatione, aliisque, quae

quae in iure fiebant; *secundam* de iudiciis & furtis; *tertiam* de contractibus & rebus creditis; *quartam* de iure patrio & connubii; *quintam* de hereditatibus & tutelis; *sextam* de dominio & possessione; *septimam* de delictis & criminibus; *octauam* de iuribus praediorum; *nonam* de iure publico; *decimam* de sacro; *postremas duas* priorum veluti supplementa comprehendisse. *bulae egerint?*

§. XXXII.

Earum vtilitas.

Postremo obseruandum, haec XII tabularum fragmenta iuris studiosis insignem adferre posse vtilitatem. Inde enim iurium multorum origines, inde Pandectarum & Codicis, ipsiusque Edicti perpetui ordo, eiusque rationes, inde denique multarum actionum natura atque indoles vnice intelligitur. Nec defuerunt ICti humaniores, qui iurisprudentiae studium a XII Tabulis auspicandum esse, monerent, quamuis ego illis tantum, qui erectiore indole inflammati, ad interiorem ciuilis istius sapientiae cognitionem adspirant, auctor esse malim, vt tabulas istas sibi familiares reddant. Reliquis enim, qui crudis adhuc studiis, pleno gradu

gradu in forum tendunt, acclamari ſatius fuerit:

Procul, o procul eſte, profani.

CAP. III.

DE PROGRESSV IVRIS ROMANI POST XII TABVLAS AD TEMPORA AVGVSTI.

§. XXXIII.

Cur poſt XII. Tabulas tot noua iura orta?

ITa perfectum ſuisque abſolutum numeris videbatur illud legum Romanarum corpus. Sed laborabat respublica internae formae vitio, tamque male temperata erat, vt non poſſet non perpetua inter patres ac plebem gliſcere aemulatio. Siue enim interpretandae, ſiue negotiis quotidie obuenientibus applicandae eſſent leges: eam poteſtatem ſibi vindicabant patricii, quum contra Tribuni plebis nihil reliqui facerent, vt illud patriciorum regnum euerterent. Id quod non poterat non mirifice amplificare legum Romanarum numerum.

§. XXXIV.

Plebs nouis plebi-

Quod vt rectius intelligatur, TRIBVNI PLEBIS pro roſtris dominabantur;

bantur, &, quoties patres altiora ſpirare animaduerterent: turbulentis concionibus plebem aduerſus patres concitabant, & ſic quotannis fere noua PLEBISCITA de ſtatu reip. mutando emendandoque perferebant. Hoc modo ſane patribus paullatim cum alias praerogatiuas, tum praecipue *honores*, *ſacerdotia* & *ius connubii* extorſerunt, vt ea omnia patribus cum plebe in poſterum communia eſſent. *ſcitis pleraque iura patribus extorſit.*

§. XXXV.

Sed non adeo faciles erant patres, vt plebi poteſtatem illam leges ferendi ſine certamine concederent. Potius non ſine aequitatis ſpecie contendebant, non ſe, ſed plebem, plebiſcita illa, ſe imprudentibus facta, tenere. Id quod non potuit non nouos in rep. tumultus excitare. Liu. III, 55. *Quibus plebiſcitis ſe obſtringi, negabant patres.*

§. XXXVI.

Videbatur illi rei remedium inuentum A. V. C. CCCVI. facta a plebe ſeceſſione altera in montem ſacrum. Creati enim tunc Conſules populares, L. VALERIVS & M. HORATIVS, legem centuriatis comitiis tulerunt, VT QVOD TRIBVTIM PLEBS IVSSISSET, POPV- *Id tamen deciſum primum lege Horatia.*

C LVM

LVM TENERET. Id quod non ſine offenſione patrum factum eſſe, facile eſt, ad intelligendum, quia hi quidquid libertati plebis cauebatur, id ſuis decedere opibus, credebant. Liu. III, 58. Dionyſ. Halic. XI. p. 725.

§. XXXVII.

Deinde Publilia. Sed ne ea quidem laetitia plebi admodum diuturna fuit. Patres enim, nouas commenti cauillationes, plebiſcitis iterum negabant obſequium, fortaſſis quod, ſe populi vocabulo non comprehendi, exiſtimarent. Thomaſ. Delin. Hiſt. Iur. §. 15. Quo factum eſt, vt anno V. C. CCCCXVI Q. PVBLILIVS, DICTATOR, noua, eaque populari admodum lege ſanciret, VT PLEBISCITA OMNES QVIRITES TENERENT. Liu. VIII, 12.

§. XXXVIII.

Ac denique Hortenſia. Nouum tamen Patres inuenere modum, quo plebem, legislatoriae inhiantem poteſtati, opprimerent, acerbitatem nimirum iniquiſſimi foenoris. Ea calamitate ad deſperationem acta plebs, A. V. C. CCCCLXV in Ianiculum ſeceſſit. Quumque aduerſus hanc ſeditionem patrum opis eſſet in conſulibus: ad vltimum

rei

rei trepidae remedium deuentum est, vt Dictator diceretur Q. HORTENSIVS.* Epit. Liu. Lib. XI. Hic cedendum temporibus ratus, non modo plebem a foeneratorum crudelitate vindicauit, verum etiam sequente anno, lata noua lege, denuo accuratius sanxit, VT QVOD PLEBS IVSSISSET, OMNES QVIRITES TENERET. Gell. Noct. XV, 27. *§. 4. Inst. de I.N.G. & Ciu.*

* Vnde ridicula est obseruatio Accursii, legem hanc Hortensiam *a quodam Hortensio rege* latam esse. Glossa ad § 4. Inst. de I. N. G. & C. Sed talia plura in glossa, vt misereri possis illius saeculi, quod, vt Rupertus ad Pompon. Enchir. p. 90. loquitur, *doctores pedore & squalore horridos, pannis obsitos, semper illotos, semper intonsos, tam diu perpessum est.*

§. XXXIX.

Et ex eo quidem tempore plebiscita perinde, ac ipsae leges, valuerunt, quin & LEGVM vocabulum adsumserunt, ceu vel ex iure nostro patet, ex quo notissimae sunt LEGES AQVILLIA, ATILIA, FALCIDIA, ATINIA, SCRIBONIA, VOCONIA, & similes, quae omnes

Ex tempore plebiscita legum vim nomenque habuerunt.

omnes non leges, κυρίως dictae, sed PLEBISCITA, fuerunt. *

* Eorum characterem aliqui in eo quaerunt, quod vnico nomine vocentur, quum leges proprie sic dictae ab vtroque consule cognominentur, veluti *leges* AELIA SENTIA, IVNIA NORBANA, IVLIA & TITIA, PAPIA POPPAEA, ceterae. Merula de Leg. Rom. cap. XXIV. Sed quamuis hoc vt plurimum verum sit; sunt tamen & leges, vere ac proprie sic dictae, quarum non nisi vnum cognomen est, veluti HORATIA, PVBLILIA, HORTENSIA, IVLIAE tantum non omnes, POMPEIA de *parricidiis*, CORNELIAE pleraeque, FABIA de plagiariis, & similes.

§. XL.

Quid lege agere. Eadem fata LEGIS ACTIONVM fuere, quae erant ALTERVM, quod, tanquam gentilem aliquam possessionem sibi vindicabant patres. De his iam dicendum paullo accuratius. Quicumque aliquid in iure rite & iure faciebant, ii LEGE AGERE dicebantur, Sigon. de Iudic. I, 9. adeo, vt & lictores, quoties animaduertendum esset in facinorosos, *lege agere* iuberentur. Liu. XXVI, 15. Val. Max. III, 9.

III, 9. At praecipue tamen LEGE AGEBANT, qui vel actione pulsabant aduersarium, Val. Max. VII, 7. Plin. Hist. Nat. VII, 5. Gell. Noct. Attic. XX, 9. vel actum voluntariae iurisdictionis apud eum, apud quem erat legis actio, explicabant. *l. 4. ff. de adopt.*

§. XLI.

Origo legis actionum?

Equidem, quo pacto lege agendum esset, lege XII Tabularum non fuerat expressum. At patricii, qui sibi iurisprudentiam obtentu iuris patronatus, tanquam gentilem possessionem, vindicabant, (vid. Antiqu. Rom. I, 2, 29.) & pontifices, quales etiam tum soli patricii erant, certos comminiscebantur ritus & formulas, * quibus tum voluntariae, tum contentiosae iurisdictionis actus explicarentur, quibus pontifices adiiciebant fastos dierum, quibus lege agere fas nefasque esset. Quae omnia LEGIS ACTIONVM nomine veniebant.

* De actionibus Pomponius, *l. 2. §. 6. ff. de orig. iur. Deinde ex his legibus, eodem fere tempore,* ACTIONES *compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus, prout vellet, institueret, certas sollemnesque esse voluerunt, & appel-*

 latur

latur haec pars iuris LEGIS ACTIONES, id est, legitimae actiones. En certas formulas, quibus ius suum persequerentur ciues, tam caute profecto recitandas, vt, qui formula caderet, caussa cecidisse videretur. Senec. Ep. XLIX. Lips. ad Senecae de Clement. II, 3. Quinctil. Inst. III, 8. Praeterea nihil fere apud magistratum sine sollemni aliquo ritu explicari consueuisse, argumento sunt *ritus vindiciarum, emancipationum, adoptionum, manumissionum*, de quibus fusius actum in Antiqu. Rom. I, 4, 4. sequ. I, II, 15. sequ. I, 12, 7. sequ. IV, 6. 14. Denique de fastis dierum, quibus lege agere liceret, vel non liceret, Cicero pro Muraena cap. XI: *Posset agi lege, nec ne, pauci quondam sciebant: FASTOS enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui consulebantur, a quibus etiam dies, tanquam a Chaldaeis, petebantur.* His vero rebus praefuisse pontifices, patet ex *l. 2. §. 6. ff. de orig. iur.*

§. XLII.

Quid per illas intelligatur.

Sunt ergo ACTIONES LEGIS quilibet actus, tum contentiosae, tum voluntariae iurisdictionis, apud magistratum, apud quem legis actio erat, sollemni ritu, certisque formulis ac diebus explicandi, quorumque & id proprium erat, vt nec diem,

diem, nec conditionem, nec procuratorem, admitterent, *l. 123. ff. de reg. iur.* & a pupillis sine tutoris auctoritate non possent explicari. *l. 19. ff. de auct. tut.*

§. XLIII.

Eaedem erant adfectiones ACTVVM LEGITIMORVM, qui tamen a prioribus omnino differunt, quod sollemniter quidem, adhibitisque certis formulis, nec tamen abscisse apud magistratum, erant explicandi. Quales erant *hereditatis aditio*, *serui optio*, *mancipatio*, *acceptilatio*, & similes.* *l. 77. ff. de reg. iur.* *Quinam actus legitimi?*

* Vnde omnino errant, qui haec confundunt, quum non vna inter illa differentia sit. Accuratissime rem expediuerunt Franc. Hotom. in Quaest illustr. XXXIV. p. 226. & Guil. Budaeus *ad l. 4. ff. de adopt.* Omnes quidem actiones legis erant actus legitimi; sed hi non omnes erant actiones legis, quia non apud magistratum, sed priuatos intra parietes, solebant applicari.

§. XLIV.

Omnia haec patricii & pontifices, qui soli iurisprudentiam illam formulariam, tanquam possessionem auitam, retinebant, *Omnia haec in latenti habe-*

bant patricii. *in latenti habebant*, * vt plebs ab eorum penderet arbitrio, ipsique a litigantibus quotidie, tanquam oracula, adirentur. Sane enim neque actionem quisquam sine periculo instituere, neque adoptare, emancipare, simileue quidquam peragere rite poterat, nisi illis formulas, ritus, ipsosque dies, prius tanquam ex tripode eloquuti essent illi Apollines. *l. 2. §. 6. ff. de orig. iur.* Cic. de Orat. I, 61.

* Hinc mirae fraudes Pontificum, fastos in gratiam odiumue aliorum pro lubitu turbantium, de quibus Ammian. Marcell. XXVI, 1. *Haec, nondum extentis fusius regnis, diu ignorauere Romani, perque saecula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, quum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi: qui licenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum subtrahebant tempora vel augebant. Hocque ex coepto, emerserunt alia plurima, quae fallebant: quorum meminisse nunc superuacuum puto.* Add. Solin. Cap. III.

§. XLV.

Prodidit arcanum Sed hoc quoque forense patriciorum regnum euertit anno V. C. CCCCXLIX. CN.

CN. FLAVIVS, qui formulas iſtas cum faſtis, ab Appio Claudio Caeco, cuius ſcriba fuerat, in codicem compilatas, publicauit, eoque munere tantam a populo gratiam iniit, vt Aedilis crearetur.* *l. 2. ſ. 7. ff. de orig. iur.* Liu. IX, 46. Cic. pro Mur. Cap. IX. & ad Attic. Epiſt. VI, 1. de Orat. I, 40. Plin. Hiſt. Nat. XXXIII, 1. Gell. Noct. VI, 9. Idque eſt IVS illud FLAVIANVM, de quo eo loco Pomponius. *Cn. Flauius, a quo IVS FLAVIANVM.*

* Ita rem referunt Pomponius, & Gellius. Ex Liuio contra & Val. Maximo collegeris, Flauium iam tum, quum faſtos illos & formulas proponeret, Aedilem Curulem fuiſſe, maxime quum ille haec omnia *in albo propoſita*, teſtetur, quod a magiſtratibus duntaxat, non a priuatis, fieri ſolebat. At potuit CN. FLAVIVS, vti fieri ſolet, primum clanculum enunciaſſe illud horribile ſecretum, eoque meruiſſe Aedilitatem: poſtea vero, quum ſe deſpicatui a patribus haberi animaduerteret, totum opus *in albo publice propoſuiſſe.* Sic facile conciliaueris diſcrepantes illorum auctorum narrationes.

§. XLVI.

Quam aegre illam iacturam tulerint *Et poſtea*

C 5 pa-

Sex. Aelius Catus, a quo IVS AELIANVM.

patricii, vel ex eo patet, quod recuperare amissam possessionem cupientes, nouas excogitarint formulas, easque, ne in vulgus manarent, non litteris, sed notis, perscripserint, quo nihilominus ipsi rebus omnibus interessent. Sed denuo circa annum V. C. DLII. secretum prodidit *egregie cordatus homo*, vti eum Ennius vocauit, SEX. AELIVS CATVS, de quo plura Noris. Cenotaph. Pis. Diss. III, cap. IX. p. 418. Iac. Perizon. Animadu. Hist. II. p. 71. Rupert. Epist. XLVIII. ad Reines. p. 412. sequ. isque liber Pomponio IVRIS AELIANI nomine venit. * *l.* 2. *§.* 7. *ff. de orig. iur.* Cic. pro Muraena Cap. XI.

* Ceterum hoc IVS AELIANVM differre non videtur ab eiusdem SEX. AELII PAETI CATI *Tripertitis*, ideo quippe id nomen adeptis, *quia lege XII tabularum praeposita, iungebatur interpretatio, dein subtexebatur* LEGIS ACTIO. *l. 2. §. 38. ff. de or. iur.* Nec alia est LEX AELIA apud Cic. Topic. Cap. II. vbi absurde librarii: *Lex Aelia Sentia.* Conf. Noris. Cenotaph. Pisan. ibid. p. 423.

§. XLVII.

Interpre-

TERTIVM, quod sibi solis reseruauerant

rant

rant patricii, generis iurisconsulti, erat INTERPRETATIO, & DISPVTATIO FORI, quarum meminit Pomponius. *Legibus enim XII Tabularum latis, coepit, vt naturaliter fieri solet, vt interpretatio desideraret prudentium auctoritate necessariam esse disputationem fori. l. 2. §. 5. ff. de orig. iur.* Nimirum ICti ex breuissimis illis legibus per interpretationem extensiuam varia eliciebant *iura noua*, varias *actiones vtiles*, aliaque quae propalam & κατὰ τὸ ῥητὸν legibus istis haut comprehendebantur. * Atque inde est, quod ICti saepissime non modo *iuris interpretes*, sed & *auctores conditoresque* adpellentur. Brisson. de verb. sign. voce Iuris auctores. Cuiac. Obs. VII, 25.

Interpretatio Legum XII Tab.

Disputatio fori.

* Exemplo est *legitima patronorum tutela*, quae ex lege XII tabularum esse dicitur, & proinde ipsa quoque *legitima tutela* vocatur, *non quod NOMINATIM de hac tutela cautum sit, sed quod perinde accepta sit per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. §. vn. Inst. de leg. agn. tutela.* Alia iura a ICtis per interpretationem inuenta recensuimus in Antiqu. Rom. I, 2, 36. ACTIONES VTILES in iure vtramque faciunt paginam. Eae vero dicuntur *ex-*

emplo

emplo, vel *ad exemplum*, ac veluti *ad similitudinem directarum* compositae : *l. 5. §. 21. ff. vt in poss. legat. l. 1. C. de precar. & interd. Salu. l. 13. §. 25 ff. de act. emt.* id est, per interpretationem extensiuam a ICtis introductae.

§. XLVIII.

Disputatio fori. Iidem ICti saepenumero de iure, eiusque applicatione, vel in ipso foro, vel, (vt Scholiastes Iuuenalis Sat. I. v. 128. notat,) iuxta Apollinis templum, grauiter disceptabant, eiusque rei non modo recentiora exstant exempla in *l. 19. ff. de lib. & postum. l. vlt. §. 26. de munerib. & honor. l. 17. ff. de iure patron.* sed & vetera, veluti Crassi & Galbae apud Cic. de Orat. I, 56. nec non Scaeuolae, Manilii & Bruti apud eumdem de Finib. I, 4. Quidquid ergo *post magnas varietates obtinuerat*, vti loquuntur ICti *l. vlt. ff. pro legato. l. 32. ff. de obl. & act. l. 55. §. 1. ff. de legat. 2.* id etiam iuris habebat auctoritatem, & EX DISPVTATIONE FORI *venire*, Ascon. Paed. in Cic. Verr. III. itemque *ius receptum* vel *recepta sententia* dicebatur: Fest. in Receptum. *l. 215. ff. de verb. obl. l. 41. ff. de rebus cred.*

§. XLIX.

§. XLIX.

Omnia ista iura, siue ex fori disputatione, siue ex interpretatione prudentum profecta, IVS CIVILE communi nomine vocabantur: *l. 2. §. 5. ff. de orig. iur.* Cic. de offic. III, 16. vel IVS CONSENSV RECEPTVM. *pr. Inst. de adquis. per adrogat.* Vnde *iuris ciuilis* vocabulum, quod alioquin multo latius patet, aliquando tantum ius, a ICtis interpretando disputandoque introductum, vel, vt Theophilus *§. 2. Inst. de off. iud.* vocat, τὴν τῶν σοφῶν νομοθεσίαν denotat.

Inde natum ius ciuile stricte dictum.

§. L.

Hanc quoque sapientiam initio in penetralibus suis repositam habebant patricii generis iureconsulti, rati, id quod res est, non parum se inde auctoritatis consequuturos, si sibi solis hanc cognitionem retinerent. Enimuero & hic circa A. V. C. D. repertus est, qui illos ICtorum circulos turbaret, TIBERIVS CORVNCANIVS, vir consularis, triumphalis, & primus e plebe pontifex maximus. Grot. de vit. ICt. I, 2. Rupert. ad Pomp. Enchir. p. 341. *Ante hunc enim ex omnibus, qui sapientiam nacti sunt, publice professum nemi-*

Quod & ipsum initio in latenti habitum, posteaque a Tib. Coruncanio diuulgatum est.

neminem traditur: ceteri autem ad hunc IN LATENTI *ius ciuile* RETINERE *cogitabant*, * *solumque consultatoribus potius, quam discere volentibus, se praestabant. l. 2. §. 35. & 38. ff. de orig. iur.*

* Tales fuere, quos Pomponius ante Tiberium Coruncanium recenset, PAPIRIVS, APPII CLAVDII, SEMPRONIVS SOPHVS, C. SCIPIO NASICA OPTIMVS, Q. MVCIVS, qui nec docendo, nec scriptis celebritatem sunt consequuti. At qui post Tiberium Coruncanium memorantur, partim publice professi sunt iurisprudentiam; veluti SEX. & P. AELII fratres, & P. ATILIVS *l. 2. §. 38. ff de orig. iur.* Q. MVCIVS, *l. 2. §. 42. eod.* BALBVS LVCILIVS & GALLVS AQVILLIVS, SER. SVLPICIVS; *l. 2. §. 43. 44. eod.* partim ius ciuile scriptis libris diuulgarunt. Sic SEX. AELII *Tripartita* veluti *cunabula iuris continuerunt. l. 2. §. 38. ff eod.* P. MVCIVS, BRVTVS & MANILIVS *ius ciuile fundarunt. l. 2. §. 39. ff. eod.* Q. MVCIVS *ius ciuile primus constituit, generatim in libros decem & octo redigendo. l. 2. §. 41. ff. eod.* Itaque in vulgus demum manauit illud secretum, vt vere cecinerit Iuuenal. Sat. VIII, v. 47.

Tamen ima plebe Quiritem

Facun-

Facundum inuenies: solet hic defendere caussas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos & legum aenigmata soluat.

§. LI.

Interea factum est, vt MAGISTRATVVM ROMANORVM numerus quam maxime amplificaretur. Quum enim initio tantum duo CONSVLES reip. praeessent, (§. XII.) ac praeter eos, ac TRIBVNOS PLEBIS, (§. XVII.) nulli alii in vrbe magistratus ordinarii essent quam AEDILES PLEBIS bini, Tribunorum adiutores, anno V. C. CCLXI simul cum illis creati, Gell. Noct. Attic. XVII, 21. Dionys. Halic. VI. p. 411. & QVAESTORES, quos a Regibus primum institutos, & a primis Coss. restitutos, posteaque subinde multiplicatos, testantur Tac. Annal. XI, 22. Plutarch. in Poplic. p. 1031. & *Vlp. l. vn. ff. de off. Quaest.* multi alii postea magistratus, non modo extraordinarii, sed & ordinarii, accesserunt. Idque tanto facilius indulgebat populus, quanto magis eo ipso imminui videbat consulum potentiam. *Magistratus initio pauci.*

§. LII.

§. LII.

Postea his accessere Censores, Praetores, Aediles Curules.

Sic primum anno V. C. CCCXII. CENSORES, censui agendo, lustro condendo, legendo senatui, moderandaeque disciplinae publicae, creati sunt. Dion. Halic. Lib. XI. extr. Liu. IV, 8. *l. 2. §. 17. ff. de orig. iur.* Deinde anno CCCLXXXVIII iuri dicundo institutus PRAETOR *vrbanus*, cui anno V. C. DVII accessit *peregrinus*, & his paullatim plures alii, vt primum ad *quatuor*, deinde ad *sex*, mox ad *octo*, denique ad *decem*, *duodecim*, immo ad *sedecim* vsque eorum numerus excreuerit. * Dio Cass. LVIII. p. 634. *l. 2. §. 32. ff. de orig. iur.* Lips. Excurs. D. ad Tacit. Annal. I, 14. p. m. 718. Denique eodem tempore creati AEDILES CVRVLES, qui foro rerum promercalium, ludis, viis, aedibusque publicis, & omnibus denique, quae ad decus & tutelam vrbis pertinere videbantur, praeessent. Liu. VI. extr. VII, 1. *l. 2. §. 26. ff. de orig. iur.* quibus Iulius Caesar rei frumentariae caussa duos, quos CEREALES vocauit, adiecit. Dio Cass. XLIII. extr.

* Ex his vnus iurisdictionem *vrbanam*; alter *peregrinam*; quidam prouincias praetorias; reli-

reliqui quaestiones publicas sortiebantur. MAXIMA dignitas erat PRAETORIS VRBANI, qui ideo PRAETOR MAIOR dicebatur, Fest. in maior consul. Plutarch. in Bruto p. 987. Dio Cass. XLII. p. 195. Caesar de bello ciu. III, 20. & COLLEGA CONSVLVM, cui omnia absentium Coss. officia incumbebant. Gell. Noct. Attic. XIII, 15. Plin. paneg cap. LXXVII. Cic. Epist. ad Famil. X, 12. Dio Cass. LIX. p. 659. Aliquando tamen coniungi solebant duae iurisdictiones, veluti *vrbana* & *peregrina*, Liu. XXIV, 44. XXV, 3. XXVII, 36. quemadmodum apud Gruter. Inscr. p. DIII. laudatur: ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ, *Praetor vrbanus & inter peregrinos*. Ita & duas de criminibus publicis quaestiones saepe coniunctas fuisse, iam obseruauit. Car. Sigon. de Iudic. II, 4. p. 400.

§. LIII.

Magistratus maiores extra ordinem creati.

Mittimus iam magistratus maiores extra ordinem creatos, veluti DICTATORES, plerumque in re trepida ab alterutro consulum, cuius sors exierat, noctu silentio dictos: Dio Cass. XXXVI, Liu. VIII, 23. DECEMVIROS LEGIBVS FERENDIS: (§. XXIII.) TRIBVNOS MILITVM CONSVLARI POTE-

STATE, quos ab anno V. C. CCCXI, quum plebi cum patriciis de consule altero plebeio non conueniret, loco consulum, aliquamdiu reip. praefuisse; nouimus. Liu. III, 51. IV, 6. INTERREGES, ad quos, Coss. sese abdicantibus, vel in magistratu exstinctis, consulare imperium, curaque comitiorum redibat: Liu. III, 8. V, 31. VI, 1. VII, 17. 21. VIII, 23. denique PRAEFECTOS VRBI, qui primum Regibus ab vrbe profectis, deinde feriarum Latinarum caussa, quum reliqui Magistratus omnes vrbe abessent, ex nobili iuuentute extra ordinem creabantur, vt vrbi praeessent. Tac. Annal. VI, 10. 11. Gell. Noct. Attic. XIV, extr. Exc. Peiresc. p. 477. *l. 2. §. 33. ff. de orig. iur.*

§. LIV.

XX. viri. Mittimus etiam magistratus minores, qui XX VIRORVM vocabulo comprehendebantur, quamuis initio XXVI viri essent. Dio Cass. LIV. p. 540. In eo numero erant, DECEMVIRI STLITIBVS IVDICANDIS, (de quo ἀρχαϊσμῷ Ian. Rutgers. Var. Lect. V, 16.) qui Praetori cognoscenti in consilio erant, & hastae iudicioque centumuirali praeerant.

l. 2.

l. 2. ſ. 29. ff. de orig. iur. Ger. Noodt. de Iurisd. I, 12. Sibr. Ted. Siccama de Iudic. centumuir. Cap. IX. QVATVORVIRI VIARVM PVBLICARVM CVRANDARVM, *l. 2. ſ. 30. ff. de orig. iur.* Grut. Inſcr. p. XVI, 10. TRIVMVIRI A. A. A. F. F. id eſt, *auro, argento, aeri flando feriundo*, Cic. Ep. ad Fam. VII, 13. TRIVMVIRI CAPITALES, qui carceris cuſtodiam habebant, ſuppliciisque ſumendis auctores ac moderatores praeerant, quin & de furtis ſeruorum aliorumque eiusmodi viliorum capitum ad Maeniam columnam cognoſcebant. *l. 2. ſ. 30. ff. de orig. iur.* Epit. Liu. XI. Val. Max. V, 4, 7. Rupert. ad Pompon. p. 265. ſequ. QVINQVEVIRI CIS ET VLTRA TIBERIM, qui ſuae quisque regionis aedificiis nocturno tempore praeerant, *l. 2. ſ. 31. ff. de orig. iur.* Liu. XXXI, 14. &, quorum poſtea ſuppreſſum eſt officium, DVVMVIRI, CVRATORES VIARVM extra vrbem. *l. 2. ſ. 3. ff. eod.* Dio Caſſ. LIV. p. 540.

§. LV.

Denique & magiſtratus minores, extra ordinem creatos mittimus, veluti PRAE- *Magiſtratus mino-*

D 2 FE-

res extra ordinem creati. FECTOS ANNONAE, Liu. IV, 12. QVINQVE VIROS MENSARIOS, Liu. VII, 21. DVVMVIROS NAVALES, qui orae maritimae praeerant, clasſisque ornandae reficiendaeque curam habebant. Liu. IX, 30. XL, 18. & 26. Celebratur etiam in iure noſtro PRAEFECTVS VIGILVM, qui & ipſe magiſtratus extraordinarius: *l. 2. ʃ. 33. ff. de orig. iur.* ſed eum ab Auguſto demum conſtitutum, adeoque non huius temporis eſſe, ex *l. 3. pr. ff. de off. praef. vigil.* patet.

§. LVI.

Magiſtratus plerique habebant ius edicta proponendi. Quum itaque conſulum munia poſtea per tot maiores minoresque magiſtratus paullatim ſpargerentur: non mirum profecto eſt, pleroſque eandem ſibi ſumſiſſe poteſtatem, edictis iura noua conſtituendi, qua Conſules vſos eſſe diximus. (. XVI.) Vti enim Conſules hoc ideo faciebant, quod in Regum locum ſucceſſiſſent: (§. XVI. iuncto IV.) ita nihil aequius videbatur, quam eadem poteſtate gaudere reliquos magiſtratus, in quos quaedam conſulum officia fuerant translata. *

* Fundamentum ergo iuris edicta proponendi

nendi non erat IMPERIVM, ceu tradidit Car. Sigon. de iur. ciu. Rom. I, 20. Nam & AEDILES CVRVLES edicta proponebant, etsi nec vocationem nec prensionem habebant, Gell. Noct. XIII, 13. & TRIBVNI PLEBIS, quos *sine imperio esse*, diserte ait Liu. II, 56. quin & SACERDOTES, veluti pontifices, Decemuiri sacrorum, Liu. XL, 37. augures, Val. Max. VIII, 2, 4. & in primis PONTIFEX MAX. cuius de edicto perpetuo, sub auspicium sacerdotii proposito, videndi Tacit. Hist. II, 91. Gell. Noct. II, 28. Iac. Guther. de iure pontif. I, 12. Io. Andr. Bosius de pontif. Max. Rom. IV, 1. & Henr. Dodwell. in Adpend. praelect. Cambden. p. 635. sequ. Et tamen sacerdotes *sine imperio & potestate fuisse*, scribit Liu. IV, 54. ipseque vltro fatetur Car. Sigon. de iure ciuium Rom. I, 19. Fundamentum ergo iuris edicendi genuinum est HONOR. Qui enim honoribus Romae fungebantur, iidem edicta reddere poterant. *Honoribus* autem non modo fungebantur *magistratus*; nec hi soli Romanis dicti HONORATI, Liu. XXV, 5. Ouid. ex Ponto IV, 5, v. 2. & ad Liuiam. v. 329. Sallust. Bell. Catil. cap. XXXIV. vel HONORE VSI, Grut. Inscr. p. CCCLIII, 6. CCCLXXXVII, 8. CCCXCII, 1. Flor. Hist. I, 13, 9. sed & *sacerdotes*, ceu docent exempla apud Grut.

p. CCCLVII, 3. & p. CCCLXIV, 1. Vnde hi aeque edicebant, ac illi. Nec alia est ratio, cur ius, ex magistratuum edictis descendens, dictum fuerit HONORARIVM. *l. 52. §. 6. ff. de obl. & act. §. 7. Inst. de I. N. G. & Ciu.* vbi confer. Cuiac. in Not. prior. *ad d.* §. 7. & Raeuard. de auct. prud. cap. X, p. 1008.

§. LVII.

Iisque definiendi ea quae legibus non erant definita.

Quod itaque iam pridem obseruauerat Aristot. Polit. III, 11. *oportere leges dominas esse, si sint recte latae, magistratus autem edicere de illis*, περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι, καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων, *de quibus leges exquisite aliquid decernere nequeant, eo, quod non facile sit, sermone generali singulos casus comprehendere*: id semper obseruarunt MAGISTRATVS ROMANI plerique, vt alucinentur omnino, qui, solos praetores edicta reddidisse, existimant. *

* Iason in *l. 1. pr. ff. de nou. op. nunc. n. 7.* solos Praetores edixisse putat. Quamuis enim ei ignotum non fuerit, & Procoss. & Aediles edicta proposuisse: ex Glossa tamen *ad* §. 7. *Inst. de I. N. G. & C.* didicerat, *praesides quoque prouinciarum & Aediles*

ex

ex Praetoribus fuisse. At ſicuti hoc falſum eſt: ita pleroſque reliquos magiſtratus aeque, ac Praetores, edicta reddidiſſe, iam pridem obſeruarunt Pomp. *l. 2. §. 10. ff. de orig. iur.* Modeſtinus. *l. 52. §. 6. ff. de obl. & act.* Theophil. ad *§. 7. Inſt. de I. N. G. & C.* Hotom. & Vultei. *ad d. §. 7.* Maran. in Paratitl. p. 100. Camill. Borell. de Edict. Mag. I, 17, 6.

§. LVIII.

Quod exemplis probatur. Quemadmodum ergo ſupra edicta REGVM (§. IV.) & CONSVLVM (§. XVI.) vidimus: ita non minus paſſim celebrantur edicta DICTATORVM, quae *pro Numine olim obſeruata*, ait Liu. VIII, 34. CENSORVM, quae ea, quae ad ciuium diſciplinam pertinebant, complectebantur, Corn. Nep. Caton. Cap. I. & ex quibus quaedam decerpſit. Plin. Hiſt. Nat. XIII, 13. XIV, 14. VIII, 57. XXXVI, 1. TRIBVNORVM PLEBIS, Cic. in Verrem. II, 41. qui aliquando & vna cum praetoribus, & de communi vtriusque collegii ſententia, edicta proponebant, Cic. de offic. III, 20. & ex edictis ſuis ius dicebant. Cic. in Verrem. II, 41.

§. LIX.

Ex Prae- At celeberrima omnium erant EDI-

toribus non modo vrbanus, sed & reli qui edicebant.

CTA PRAETORVM, AEDILIVM & PROVINCIALIA, quia ex iis permulta in ius nostrum Iustinianeum migrarunt. Edicebant vero non modo Praetores VRBANI, verum etiam PEREGRINI, * Val. Max. I, 3, 2. Boeth. ad Cic. Topic. Theoph. ad §. 7. Inst. de I. N. G. & C. immo &, qui PROVINCIAS aut QVAESTIONES de criminibus fuerant sortiti. De illis paullo post erit dicendi locus. Horum exempla exstant apud Cic. pro P. Sext. cap. XLI. Plin. Ep. V, 21, Varron. de Lingua Lat. V. p. 62. Conf. Brumm. ad L. Cinc. cap. VI. §. VII. & VIII.

* Recte hoc iam suspicatus est V. C. Henric. Bern. Reinold. Varior. Cap. XXXVII. p. 267. quum olim ea de re dubitarint Fr. Hotomanus de Magistr. Pop. Rom. p. 396. Schubart de Fat. Iurispr. p. 399. & V. C. Nic. Hier. Gundling in πρώτ. Pand. tit. de orig. iur. §. XXXI. quorum prior praetorem peregrinum ex edicto vrbano; posteriores ex iuris naturae principiis ius dixisse, coniecerunt, sed perperam, vti in ipso paragrapho ostendimus.

§. LX.

Edicta

Edictorum praetoriorum quemadmodum

dum & reliquorum magistratuum alia REPENTINA erant, quae prout res inciderent, proponebantur, alia AD IVRISDICTIONEM PERPETVAM pertinebant, de quibus hic nobis sermo est. *l. 7. pr. ff. de iurisd.* Horum porro quaedam erant TRALATITIA, quae praetores e decessorum edictis in sua totidem verbis transferebant; alia NOVA, quae illis quotannis de suo adstruebant. Quamuis enim *multo maxima pars eorum, quae Praetores edicere consueuerant, certa viderentur propter vetustatem:* Cic. de Inuent. II, 22. non temere tamen quisquam auspicabatur praeturam, quin tralatitio illi edicto noua quaedam adsueret capita, * vel aetatem latura, si aequitatis laudem haberent, vel a posteris negligenda, si ambitiosa aut iniqua essent. Exempla sunt apud Cic. in Verrem. III, 14. iunct. Verr. I, 48.

quotuplicia?

* Et hinc patet, cur quaedam edicta auctorum suorum nomina retineant, veluti DRVSI, Cic. ad Attic. Epist. VII, 2. CN. OCTAVII, de eo quod metus caussa, Cic. ad Quintum Frat. Epist. I, 7. CAII AQVILLII GALLI de dolo malo. Cic. de Nat. Deor. III, 30. PVBLICII de actione

in rem Publiciana, & restitutione maiorum. §. 4. *Inst. de act. l. 35. ff. de obl. & act. l. 37. ff. mand* Vt iam non dicam de actionibus SERVIANA, CALVISIANA, FABIANA, edicto CARBONIANO, interdicto SALVIANO, quae omnia ex edictis praetorum sunt, eaquae nomina acceperunt, quod praetores isti primi haec edicta, tanquam noua, tralatitiis maiorum suorum adstruxerunt, & quia postea ob aequitatem a posteris retenta, maximam in foro auctoritatem paullatim sunt consequuta.

§. LXI.

Modus illa proponendi.

Ea edicta proponere solebant Praetores sub auspicia magistratus sui. Hunc enim inituri, adscendebant in concionem, ibique, habita more maiorum oratione edicebant, quae essent obseruaturi in iure dicundo, Cic. de Fin. II, 22. id est, edictum non modo per praeconem recitari iubebant, (quod ex μιμήσει *imperatoris histrici* apud Plaut. in prol. Poenul. v. 11. sequ. colligitur,*) sed & scriptum in ALBO publice proponebant. Vnde formula edictalis: APVD. FORVM. PALAM. VNDE. DE. PLANO. RECTE. LEGI. POSSIT. PROSCRIPTVM. HABVE-

BVERVNT. Cuiac. obſ. VII, 29. Ioſeph. Ant. Iud. XIX, 4. XIV, 12. Auſon. grat. act. ad Gratian. Imp.

* Ibi enim prologus, qui ſe *magiſtratum hiſtrionicum* fingit, primum praeconem ita excitat:

Exſurge, praeco, fac populo audientiam,
Iamdudum exſpecto, ſi tuum officium ſcias.

Hinc recitat ipſum edictum fictitium:

BONVM FACTVM 'ST, *edicta vt ſervetis mea &c.*

eoque finito ſubiicit:

Haec, imperata quae ſunt, pro imperio hiſtrico,
BONVM, *hercle*, FACTVM, *pro ſe quisque vt meminerit.*

Eſt autem BONVM FACTVM formula antiqua & ſollemnis quam edictis ſuis praemittebant magiſtratus Romani, quamque Ioſephus Graece exprimere ſolet ΚΑΛΩΣ ΕΧΕΙ, Appianus & alii ſcriptores: ΑΓΑΘΗι ΤΥΧΗι. De ea formula vid. Barn. Briſſon. de Form. Rom. III. p. 274. ſequ.

§. LXII.

Ceterum his edictis ſuis non modo leges, propoſitis actionibus aliisque remedi- *Eorumque finis,*

is

is adiuuabant, ſed multa quoque, quae leges praeteruiderant, conſtituebant, quin & legum rigorem aequitate temperabant, ne videlicet ſummum ius in ſummam euaderet iniuriam. Quae eleganter complexus Papinianus, *ius praetorium introductum*, ait ADIVVANDI, *vel* SVPPLENDI, *vel* CORRIGENDI *iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam. l. 7. ſ. 1. ff. de iuſt. & iur.*

§. LXIII.

Praetores edictis ſuis etiam iura vetera euertebant.

Ipſum ius ſcriptum directe mutare Edictis non poterant Praetores, idque non ipſi modo prae ſe ferunt, quoties leges, plebiſcita, SCa, edicta decretaque Principum in edictis ſuis diſerte excipiunt, *l. 7. ſ. 7. ff. de pact. l. 1. ſ. 5. ff. de poſtul. l. 1. ſ. 1. ff. quib. ex cauſſ. mai.* ſed & ICti noſtri paſſim profitentur. *l. 12. ſ. 4. ff. de Publ. in rem act. l. 12. ſ. 1. ff. de bon. poſſ.* Et tamen Dio Caſſ. XXXVI. p. 19. ſcribere non dubitat: Ο'υ γὰρ ὁι ϛρατηγοὶ πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἐπόιϐν, ὅτε ἐσάπαξ τῦτ' ἐπόιϐν, ὅτε τὰ γραφέντα ἐτήρϐν, ἀλλὰ πολλάκις ἀυτὰ μετέγραφον. *Neque enim omnia ea iura, quae ad contractus dirigendos conſtituta erant, obſerua-*

seruabant, neque id vnquam fecerant, sed saepenumero ea variauerant. *

* Poteſt id etiam per inductionem, quam vocant, probari, modo ad XII Tabulas reſpicere velimus. Ita ſane Praetor mutauit *poenam furti manifeſti:* Gell. Noct. XI, vlt. Theoph. §. *2. Inſt. de perp. & temp. act.* nec non *frugis noctu demeſſae:* Plin. Hiſt. Nat. XVIII, 3. & *iniuriarum:* Gell. Noct. XX, 1. item *actiones arborum furtim caeſarum:* Plin. Hiſt. Nat. XVII, 1. *depoſiti, dolo malo abnegati;* Pariat. Leg. Moſ. & Rom. X, 6. *conditionem liberorum emancipatorum; §. 9. Inſt de ſucc. ab inteſt.* nec non *cognatorum. l. 1. ff. vnde cogn.* Nec magis Praetor pepercit aliis legibus, veluti *Aquilliae*, in qua capita quaedam fuiſſe de ſeruo corrupto, deque effuſis & deiectis, obſeruauit Vir. Ampl. Corn. v. Bynckersh. Obſ. I. 13. p. 61. quae omnia Praetor edicto ſuo excluſit.

§. LXIV.

Quibus artibus id conſequuti ſint Praetores?

Quod itaque DIRECTE non poterant Praetores: id INDIRECTE, adhibitisque quibusdam artibus, eos praeſtitiſſe, dudum oſtendimus. Nam & NOVIS excogitatis VOCABVLIS leges eludebant, & actiones ciuiles, datis EXCEPTIONIBVS, RESTITVTIONIBVSQVE in

in integrum, elidebant, & FICTIONIBVS variis efficiebant, vt iura ciuilia aliam plane faciem induerent.* Antiqu. Rom. I, 2, 24.

* Ita NOVIS VOCABVLIS ludebant, dum qui heredes esse non poterant, iis dabant *bonorum possessionem:* dum argentarios non nudo pacto promittere, sed *recipere* dicebant, atque inde dabant *actionem recepticiam, l. 2. C. de const. pec.* dum eos, qui rem a se aliisque debitam se praestituros promiserant, *pecuniam constituisse* dicebant, atque eam in rem prodiderant *actionem constitutae pecuniae. l. 1. §. 1. l. 16. §. 2. l. 18. §. 1. l. 25. ff. de const. pec.* Quasi inter *promittere*, *recipere*, *constituere*, tantum intersit, vt prius non mereretur actionem, posteriora mererentur. Deinde EXCEPTIONIBVS variis iura euerterunt Praetores, non solum *aequis* veluti pacti, doli mali, similibus, sed & *iniquis*, qualis etiam fuit exceptio lenocinii apud Val. Max. VII, 7, 7. Idemque de RESTITVTIONIBVS dicendum, quas saepe mali Praetores dabant, vbi minime oportebat, ceu docet exemplum C. Verris apud Cic. in Verr. I, 16. *Fictionum* denique exemplum omni exceptione maius est in §. 4. *Inst. de act.*

§. LXV.

§. LXV.

Enimuero, quod mireris, aduersus omnes, qui Praetori haec exprobrant, stilum vindicem strinxit V. C. GOTTL. KORTTE, editis Lipsiae *vindiciis Praetoris Romani ac Iuris honorarii*, vbi iis, qui talia de Praetore scripserunt, in tantum indignatur, vt magis non potuisset, si coniurassent aduersus rempublicam. Et tamen vir ille doctus, effusa omni bile, magno conatu maximas nugas egit. *

De Kortii vindiciis praetoris & iuris honorarii iudicium.

* *Primo* enim, mutato quaestionis statu, §. IV. p. 3. non praetorum perfidorum ac malitiosorum caussam se acturum, ait; sed praeturae. Quasi vero ipsam praeturam quisquam impugnasset, aut alii praetores, quam perfidi & malitiosi, artibus istis abusi sint. *Deinde* ostensurus, Praetores, ne, si voluissent quidem, his artibus vti potuisse, a §. V. multa ex aduersariis suis corradit de insigni Romanorum cura in ferendis conseruandisque legibus, de edictis non nisi consentiente Senatu scriptis, de iure intercedendi, Tribunis plebis aduersus edicta iniqua competente, de Praetoribus in leges initio magistratus iurantibus. Sed quis neget fieri potuisse, quod reipsa factum est? Ius praetores edictis suis euertisse, & Dio testatur, & Cic. aduer-

aduerſus Verrem: qui ergo euerti non potuit? Cur, quaeſo, C. Verrem non cohibuit illa inſignis Romanorum cura in ferendis conſeruandisque legibus? cur hunc in ordinem non coegit Senatus Tribunorumque auctoritas? Cur hunc in officio non continuit iurisiurandi religio? Praeterea falſum eſt, ſi quid aliud, praetores edicta vel de Senatus, vel de collegii tribunicii ſententia, ſcripſiſſe, neque id probant loca, a viro docto adducta. *Porro* ridiculum eſt, vindicem negare initio, Praetores talibus artibus vti potuiſſe, & fateri tamen poſtea, §. IIX, iura illos mutaſſe, ſed ſuo iure id feciſſe, quum *ſimilis legislatoriae eſſe debeat Praetorum poteſtas*, (quo ſane nihil dici poſſet inſulſius,) *& populo potius vitio vertendum ſit, quod tamdiu vetuſtis obſcurisque legibus inhaeſerit.* Quid ergo ſibi vult vindex? Cur indignatur iis, qui, Praetorem iura mutaſſe, contendunt? Non minus *praeterea* abſonum eſt, quod §. IX. querelam illam veterum, in primis Dionis Caſſii, non de ordinariis annuis, ſed de ſubitaneis praetorum edictis, accipiendam putat, veluti de citatoriis, monitoriis, ſimilibusque. Quaſi vero lege Cornelia, de qua ibi agit Dio, prohibitus fuiſſet Praetor noua ſubinde edicta ſubitanea proponere, & quaſi vlli magiſtratui lege praecipi

cipi posset, vt omnia edicta subitanea, e.g. omnes citationes edictales, semel simulque sub auspicium magistratus sui proponat. Nugae! *Denique*, vt artes istas Praetori iniuria adfingi ostendat Kortius, egregie scilicet ostendit, multum interfuisse inter hereditatem & bonorum possessionem, vbi non pauca, quae nemo ignorat, quaedam etiam falsa, admiscet: deinde exceptiones, a praetore inuectas, aeque ac restitutiones in integrum, aequissimas esse ostendit: quum nemo eas iniquitatis coarguat, & verissimum tamen sit, eosdem praetores, qui aequas inuexerunt, etiam iniquissimas exceptiones ac restitutiones edicto inuehere potuisse, quin inuexisse re ipsa. Postremo, ne quid ineptiarum desit, fictiones fictiones esse negat, easque nihil aliud esse putat, quam *veritates probabiles*, & *interpretationes extensiuas*. Sed hic tam frigida occurrunt de absentium praesentia, de seruitutibus poenae similibusque iuris capitibus, vt si vindicias illas legisset veterum praetorum aliquis, repetere potuisset illa Virgilii:

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget.

§. LXVI.

Sed & hoc sibi arrogauerant Praetores, vt per annum magistratus sui edicta, *Praetores Edicta per*

E quo-

annum frequentissime mutabant. quotiescumque collibitum esset, mutarent, idque plerumque facerent εἰς χάριν, ϗ καθ' ἔχθραν τινῶν, *in gratiam odiumque certorum hominum:* Dio Cass. XXXVI. p. 19. Ascon. Paedian. in argum. Orat. pro C. Cornelio, maiestatis reo p. 629. adeo, vt ad coercendam illam Praetorum licentiam opus esset edicto: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, VT IPSE EODEM VTATVR. *l. 1. ff. quod quisqu. iur.*

§. LXVII.

Hinc iussi sunt SCo ex edictis perpetuis ius dicere. Quod quum intolerabile videretur liberae ciuitati, & ius quam maxime incertum redderet: A. V. C. DLXXXV. L. Aemilio Paullo & C. Licinio Crasso Consulibus, V. Kal. April. in curia Hostilia factum est SC. VTI PRAETORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS * IVS DICERENT. Cuius SCi notitiam debemus Actis diurnis, quorum fragmenta quantiuis pretii ediderunt Steph. Vin. Pigh. Annal. Rom. Tom. II. p. 378. Reines. Inscr. Class. IV, 2. & omnium accuratissime Henr. Dodwell. Adpend. Praelect. Cambden. p. 665. sequ.

* Non tamen hic EDICTVM PERPETV-

VM

VM accipitur pro aeternum duraturo, quale erat illud a Saluio Iuliano conditum sub Hadriano: sed pro eo, *quod per integrum annum nullam subiturum esset mutationem*. PERPETVVM enim dicitur etiam, quod est *continuum* vel *non interruptum*. Hinc *palus perpetua* est continua, non infinita, apud Caes. de Bello Gall. VII, 57. *perpetua amicitia*, dicitur pro non interrupta, Q. Cic. in petit. Cons. cap. VI. *biennium perpetuum* pro continuo. Terent. Hecyr. I, 2. v. 12. vbi Donatus: *Vt continuationem sui casus ostenderet*, PERPETVVM *dixit*. Cuius rationis quum non meminissent Iac. Menardus in Not. ad Cic. Verr. I, p. 103. & Grot. de vita ICt. II, 6. mirifice caecutire eos oportuit circa naturam *edicti perpetui*, ante Hadrianum inuecti.

§. LXVIII.

Neque tamen hoc SC. ad posteritatem valuit. Nam multo post illa tempora C. Verres & in vrbe, & in Sicilia, edicta sua *in gratiam odiumque aliorum* frequentissime mutauit, & varie admodum ius dixit. Cic. in Verr. I, 46. Id quod anno V. C. DCLXXXVI. occasionem dedisse videtur C. CORNELIO SVLLAE, Tribuno pl. magna cum nobilium offensione

Quumque id non valeret, condita eam in rem est lex Cornelia.

legem ferendi, VT PRAETORES EX EDICTIS SVIS PERPETVIS IVS DICERENT. *Quae* LEX CORNELIA *tum gratiam ambitiosis praetoribus, qui* VARIE *ius dicere adsueuerant, sustulit,* vti scribit Ascon. Paedian. ibid. Conf. Dio Cass. XXXVI. p. 19. qui legis sanctionem ita exprimit: *κατ' ἀρχάς τε εὐθύς στρατηγοὺς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται, προλέγειν, καὶ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν παρατρέπειν. vt & statim a principio Praetores praedicerent, quo iure essent vsuri, & deinde nequaquam ab eo deflecterent.*

§. LXIX.

Hinc ius praetorium certius factum, edictaque a ICtis collecta.

Hac ergo lege effectum est, vt non modo rarius locus esset edicto: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, sed & ius praetorium in posterum paullo certius esset, quia plerumque tralatitia edicta in albo legebantur, ac successores, licet quotannis edicerent, non multa tamen capita noua veteribus adstruebant. Hinc ex eo tempore ICti edicta praetoris colligere, suisque animaduersionibus illustrare coeperunt, veluti SER. SVLPICIVS *l. 2. §. 44. ff. de orig. iur. l. 5. ff. de inst. act.* A.

OFI-

OFILIVS, *d. l. 2. §. 44. l. 1. ff. ne quis eum, qui in ius voc.* ANTISTIVS LABEO, l. 1. §. ff. de fugit. Gell. Noct. XIII, 10.

§. LXX.

Edicta Aedilium Curulium. Eodem iure & AEDILES CVRVLES de rebus ad curam suam pertinentibus (§. LII.) edicta proposuisse diximus,* (§. LVIIII.) quae & ipsa *iuris honorarii portio* erant. *§. 7. Inst. de I. N. G. & C.* Nec tamen, vti Praetores, singuli edicebant, sed communiter, & de vtriusque sententia. Cuiac. Obs. XXIV, 16. Vnde & non legimus in Pandectis: AIT AEDILIS, sed in numero pluratiuo: AIVNT, VOLVNT, NOLVNT, PRAECIPIVNT & DENVNCIANT, LOQVVNTVR, ORDINE FECERVNT AEDILES, & similia. *l. 1. §. 1. l. 17. §. 17. l. 25. pr. l. 44. pr. l. 37. l. 38. §. 1. l. 25. §. 10. ff. de edict. Aedil.*

* Et quidem ab ipsa magistratus illius origine. Nam Plaut. Capt. IV, 2. qui centum & septuaginta annis post Aedilium Curulium originem scripsit, adludens ad edicta Aedilium:

Eugene, inquit, EDICTIONES AEDILITIAS *hic habet quidem:*

Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi
Aetoli agoranomum.

§. LXXI.

Eorum fragmenta, quae in iure supersunt.

Quamuis vero V. C. Euer. Otto de tutela viar. publ. III, 2. p. 428. sequ. contra Albericum, Fulgosium, Zoesium, Bockelmannum recte ostenderit, non vnum fuisse Edictum Aedilitium, sed plurima, & ad varias caussas, de quibus eorum erat iurisdictio, pertinentia, eaque deinde in vnum collecta corpus, suis partibus ac titulis distingui consueuisse: tria tamen tantum hodie supersunt, quae sola Iulianus in edictum perpetuum retulit, VNVM de mancipiorum, * *l. 1. §. 2. ff. de edict. Aed.* ALTERVM de iumentorum venditionibus: *l. 38. §. 1. 2. ff. eod.* TERTIVM denique de cane, verre, similibusque bestiis, vbi vulgo iter fit, non habendis: *l. 40. sequ. ff. eod.* quod postremum egregie illustrauit laudatissimus Eu. Otto. l. c.

* Primum illud caput paullo integrius seruauit Gell. Noct. IV, 2. vbi venditori praecipitur: TITVLVS SERVORVM SINGVLORVM, VTEI SCRIPTVS SIT, COERATO, ITA, VTEI INTELLIGI RECTE POSSIT, QVID MOR-

MORBI &c. *Tituli* eiusmodi, quo vitia morbiue mancipiorum indicabantur, meminit Seneca Ep. XLVI. & Philostr. in vit. Apoll. Tyan. Lib. III, vbi ἔπαινος τῶν ἀνδραπόδων ΤΟΜΗ ΚΛΕΠΤΕΙΝ ΑΥΤΑ. *Titulus mancipiorum* NON FVRANTVR.

§. LXXII.

Passim tamen & alia laudantur Aedilium edicta. Quum enim & funerum cura penes Aediles esset: multa edixisse videntur *de sumptibus funerum*, *ritibus funebribus*, & *monimentorum structura*. Ouid. Fast. VI. v. 663.

Et apud alios veteres auctores reperiuntur, veluti de funeribus.

Adde, quod AEDILIS, pompam qui funeris irent,
Artifices solos iusserat esse decem.

Et Reines. Class. Inscr. II, 73. p. 291. elegans describit marmor, in quo C. Cestii heredes profitentur se monimentum fecisse ex pecunia, quam pro suis partibus receperint ex venditione Attalicorum, QVAE EIS PER EDICTVM AEDILIS IN SEPVLCRVM C. CESTII INFERRE NON LICVERIT. Conf. Cic. ad Attic. Ep. XII, 35. 36.

§. LXXIII.

De castratione puerorum, & alia.

Aliud Aedilium edictum *de castratoribus puerorum quadruplo puniendis*, memoratur in *l. 27. §. 6. ff. ad L. Aquill.* quod iuuenili, ast docta, commentatione illustrauit Eu. Otto, Steinu. MDCCX. Apud Macrob. Saturn. II, 6. legimus, Aediles aliquando proposuisse edictum, NE QVIS ALIQVID IN SCENAM, PRAETER POMVM, IACERE VELLET: Cascellium vero ICtum interrogatum a non nemine, num nux pinea pomum sit? facete atque argute respondisse: *Si in Vatinium missurus es, pomum est.* *

* Fuisse & alia permulta Edicti Aedilitii capita, & inde colligi posse videtur, quod in *l. 2. ff. de diuers. & temp. praescr.* Marcellus PLERASQVE *actiones* AEDILITIAS *certo tempore finiri*, ait. Quum enim hodie nullam sciamus, quae non sit temporalis: sequitur sane, vt olim quaedam fuerint perpetuae. At nerui huic argumento incederentur, si certa esset ingeniosa V. A. Corn. Bynck. Obs. IV. 8. emendatio, pro PLERAEQVE, extrita vna littera, legentis *peraeque*.

§. LXXIV.

Denique & magiſtratus prouinciales, quales, libera adhuc rep. erant. COSS. PRAETORES, PROCOSS. PROPRAETORES, (Car. Sig. de iure prouinc. Rom. II, 1.) edicta proponebant in prouinciis ſuis. Habebant quidem ſingulae prouinciae ſuas leges, victis de decem Legatorum ſententia datae a victoribus, & a Praeſidibus poſtea ſancte ſeruandae. Cic. in Verr. II, 13. Liu. XXXIII, 31. & 32. XLV, 25. Erant etiam quaedam ciuitates prouinciales αὐτονόμοι, quae ob bene merita ſuis vtebantur legibus, * de quibus Ez. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. II, 9. Denique & ipſae leges Romanae ſaepe ad vniuerſum orbem Romanum pertinebant. vel ſpeciali ſanctione ad prouincias producebantur. Vlpian. Fragm. XI, 18. 20. *l. 5. pr. ff. de manumiſſ.* Attamen his omnibus veluti auctarium vel ſupplementum accedebant EDICTA PROVINCIALIA.

Edicta prouincialia.

* Non tota enim prouincia easdem a victoribus leges accipiebat: ſed prout ciuitates ſe aduerſus victorem populum geſſerant, ita vel duriores vel mitiores leges accipiebant. Carol. Sigon. de iure prou. II, 5.

Aliquando humanioris ingenii victores totam prouinciam *suis legibus vti* patiebantur, quale L. Aemilii Paulli exemplum, Macedonibus αὐτονομίαν concedentis, est apud Liu. XLV, 32. Quod si ciuitas libera vel αὐτονόμος, suis relictis legibus, ius ciuile Romanorum sua sponte adoptasset, populus ille FVNDVS *factus esse* dicebatur. Cic. pro Balbo Cap. VIII. Gell. Noct. XVI, 13. Qua de re doctissimae exstant NIC. RIGALTII, ISM. BVLLIALDI & HENR. VALESII Diatribae *de populis fundis*, quae iunctim prodiere Diuione MDCLVI 8uo. recusae in Graeuii Thesauro Antiqu. Rom. Tom. II.

§. LXXV.

Eorum varietas.

Qui nimirum mittebantur in prouincias, ii sub auspicia magistratus sui, quomodo ius dicturi essent de singulis caussis, edicto proposito, prouincialibus denunciabant: Sigon. ibid. idque faciebant non modo Consules & Proconsules, sed & Praetores & Propraetores, vti patet exemplis L. Domitii & P. Licinii Neruae, Praetorum Siciliae. Valer. Max. VI, 3, 6. Excerpt. Peiresc. p. 633. Itaque totidem erant EDICTA PROVINCIALIA, quot prouinciae, & hinc memorari videmus

edi-

edictum SICILIENSE, Cic. Verr. I, 43. ASIATICVM, & SYRIACVM, Idem Epist. ad Attic. VI, 1. CILICICVM, Id. Epist. ad Famil. III, 8. &c.

§. LXXVI.

Ceterum & haec prouincialia Edicta vel TRALATITIA erant, vel NOVA. Pleraque enim ex decessorum suorum edictis retinebant: & nihilominus iis & noua quaedam adsuebant. Cic. Epist. ad Famil. III, 8. Quin ea in re vel maxime elucebat magistratuum prouincialium prudentia, si quid prouinciis salutare constituissent. Cic. Quaest. Acad. IV, 1. Hinc Praesides prudentiores, vt optima quaeque ac saluberrima tanto facilius eligerent, non modo ex vrbano, sed & aliarum prouinciarum edictis, quae profutura suae prouinciae existimabant, in suum transferre non dubitabant.*

Erant illa vel tralatitia, vel noua.

* Probari id potest exemplo Ciceronis, qui Epist. ad Attic. VI, 1. de se ipso refert, quaedam se *de Bibuli, Syriae Proconsulis*, nonnulla *ex Q. Mucii edicto Asiatico* in suum *Cilicicum* transtulisse: pleraque de iure dicundo, praeter ea, quae sine edicto satis commode explicari non possint, ἄγραφα reliquisse, & praemonuisse tantum pro-

prouinciales, se de eo genere sua decreta *ad edicta vrbana* accommodaturum. Quum itaque aliunde constet, eum & *ex decessoris sui, Appii Pulchri edicto* pleraque iisdem verbis transscripsisse in suum, & *noua quaedam* de sumtibus ciuitatum minuendis addidisse: Cic. Epist. ad Fam. III, 8. id sane Ciceronis exemplum distinctionem hanc inter partem edicti *tralatitiam* & *nouam* mirifice illustrat.

§. LXXVII.

Quae in edictis illis cauerint Praesides? Recte porro obseruatum est a Carolo Sigon. de iure prouinc. II, 5. tria potissimum circa edicta sua cauere solitos esse Praesides bonos, suaeque existimationis studiosos: *primum*, ne quid edicerent contra legem vel formulam prouinciae: (§. LXXIIII.) siquidem ideo vel maxime male audiebat C. Verres, quod in Sicilia edixisset contra legem Rupiliam: Cic. in Verr. II, 13. *Alterum*, ne, quod in vrbe antea sanxerant, edictis prouincialibus euerterent: quod itidem C. Verri exprobrat Cic. in Verr. I, 16. *Postremum*, ne quid vnquam decernerent aduersus edictum suum. Cic. Epist. ad Attic. VI, 1.

§. LXXVIII.

An lex Quum vero dubitare non liceat, quin idem

idem sibi arrogarint magistratus prouinciales, quod Praetores vrbanos sibi sumsisse vidimus, puta vt edicta sua, quoties collibitum esset, mutarent: (§. LXVI.) nihil certius quoque videtur, quam legem CORNELIAM de edictis perpetuis (§. LXVIII.) prouinciales etiam magistratus obstrinxisse. Quin si dicendum, quod res est: Praetorum prouincialium iniquitas primam occasionem dedisse videtur Romanis, de edictis perpetuis cogitandi.*

Cornelia de Edictis perpetuis prouinciales etiam magistratus obstrinxerit?

* Diximus supra (§. XLVII.) L. Aemilium Paullum, Cos. quem penes tum fasces erant, anno V. C. DLXXXV. auctorem Senatui fuisse condendi SC. *vt Praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent.* Iam vero ex Epit. Liu. Lib. XLIII. patet, circa ea tempora *Praetores nonnullos eo, quod auare & crudeliter administrassent prouincias, damnatos esse.* Quae fusius narrat ipse Liuius XLIII, 2. & 10. De remedio ergo cogitandum erat, quo illa Praetorum licentia coerceretur, maxime in prouinciis, vbi Senatus populique absentia magistratibus iniquis tanto maiorem spem impunitatis iniiciebat.

§. LXXIX.

Quamuis ergo iam essent in vrbe LEGES

Leges post

XII Tab. conditae. GES XII TABVLARVM, LEGIS ACTIONES, PLEBISCITA, & IVS CIVILE, ex interpretatione prudentum forique diſputatione ortum, denique EDICTA MAGISTRATVVM quam plurima: non deerat tamen occaſio, nouas ferendi LEGES, nouaque PLEBISCITA, quibus multa, antea vel plane non, vel aliter ac e republica videretur, definita, ſancirentur. Eas cum cura collegerunt ANT. AVGVSTINVS, PAVLLVS MANVTIVS, PAVLLVS MERVLA, FRANC. HOTOMANVS, &, quem honoris cauſſa nomino, collega nuper coniunctiſſimus, CHRIST. GODOFR. HOFFMANNVS. Hiſt. Iur. Rom. Iuſtin. p. 42. ſequ.

§. LXXX.

Earum recenſus. Nos, omiſſis iis, quae ad ius Rom. publicum pertinent, eas tantum, quae de iure priuato & iudiciis publicis agunt, obſeruata litterarum ſerie, paucis recenſebimus, ita tamen, vt earundem aetatem, vbicumque id fieri poterit, ſimul commemoremus, maxime quum non in omnium manibus verſentur virorum, quos

quos superiore paragrapho laudauimus, doctissimorum opera.

§. LXXXI.

Notandae itaque Leges ACILIA CALPVRNIA de ambitu, lata anno V. C. DCXCVII, M. Acilio Glabrione & C. Calpurnio Pisone Coss. *vt id crimen & mulcta coerceretur, & damnati nullum amplius magistratum capere possent, & accusatoribus certa praemia constituerentur.* Sigon. de Iudic. II, 30. p. 435. AEMILIA cibaria, lata a M. Aemilio Lepido Cos. anno V. C. DCLXXV, quae *ciborum genus & modum praefiniuit.* Gell. Noct. Att. II, 24. Macrob. Saturn. III, 17. Plin. Hist. Nat. VIII, 57. APVLEIA *maiestatis*, condita anno V. C. DCLIII. Cic. de Orat. II, 25, 49. AQVILLIA *de damno iniuria dato*, plebiscitum antiquum, at incertae aetatis, de quo singulares exstant FR. BALDVINI & GER. NOODT Commentarii. ATILIA *de tutoribus a Praetore & maxima parte Tribunorum plebis dandis*, lata a L. Atilio Regulo Trib. pl. anno. V. C. CCCCXLIII. Vid. Antiqu. Rom. I, 13, 9. ATINIA, incertae aetatis *de rebus furtiuis non vsucapiendis. §. 2. Inst. de vsucap. l. 4.*

Leges quarum littera initialis est A.

l. 4. §. 1. ff. de vusurp. & vsuc. l. 215. ff. de verb. signif. AVFIDIA de ambitu, lata anno V. C. DCXCI. Messalla & Pisone Coss. ab Aufidio Lurcone Trib. pleb. in qua id noui erat, *quod qui numos in tribu pronunciarit, si non dederit, impune esset: sin dederit, quoad viueret singulis tribubus sestertium XXX. deberet.* Cic. ad Attic. I, 1.

§. LXXXII.

Quae incipiunt a litteris B. & C.

Memorantur deinde leges BAEBIA AEMILIA, vti Sigon. de Iudic. II, 30. vocat, vel potius BAEBIA CORNELIA de ambitu, qua anno DLXXI cautum, *ne suffragationes & coitiones fierent.* Liu. XL, 19. CALPVRNIA repetundarum, lata anno V.C. DCIV. a L. Calpurnio Pisone Trib. pl. *vt prouinciales pecuniam a magistratibus contra leges acceptam, constituto Romae iudicio repetere possent.* Cic. in Verr. IV, 56. CINCIA de donis & muneribus a M. Cincio Alimento, Trib. pl. anno V. C. DXLIX. Cornelio & Sempronio Coss. lata, quaquae cautum, *ne quis ob caussam quandam donum munusue caperet.* Liu. XXXIV, 4. Tacit. Annal. XI, 5. De ea eruditissimum habemus commentarium FRIDERICI BRVMMERI, recusum Lips.

MDCCXII.

MDCCXII, 8. CORNELIAE variae, velut *maiestatis*, *de sicariis*, *veneficis*, *incendiariis*, *parricidis*, *falsis*, *iniuriis*, *limitibus*, *testamentis*, * latae a L. Cornelio Sulla, Dictatore, circa annum V. C. DCLXXI. Sigon. de Iudic. II, 31. Incertae aetatis est lex CORNELIA de lusu & sponsionibus. *l. 3. ff. de aleat.* CORNELIA denique FVLVIA lege de ambitu, lata anno V. C. DXCIV. Cn. Cornelio Dolabella & M. Fuluio Nobiliore Coss. cautum, *vt capitale esset, suffragia donis & pecunia emere.* Epist. Liu. lib. XLVII.

* Ex hac LEGE CORNELIA de testamentis est *Fictio* quam vocant *Legis Corneliae*, qua, qui apud hostes decessit, fingitur in ciuitate decessisse. *l. 18 ff. de capt. & postl. l. 12. ff. qui test. fac. poss.*

§ LXXXIIII.

A litteris D. & F.

Non minus celebres sunt LEGES, DIDIA sumtuaria, lata anno V. C. DCX. App. Claudio & Q. Metello Coss. *vt vniuersa Italia lege Fannia teneretur, vtque non modo qui sumtuosius epularentur, sed & conuiuae, in poenas legis inciderent.* Macrob. Saturn. III, 17. DVILLIA MAENIA a M. Duillio & L. Maenio Trib. pl.

 anno

anno V. C. CCCXCVIII. Martio & Manlio Coss. lata, *ne quis foenus vnciario maius exerceret*. Liu. VII, 27. Noodt. de Foenor. & vsur. II, 4. FABIA *de plagiariis*, quam anno V. C. DLXXI. latam volunt. FANNIA *sumtuaria*, lata anno V. C. DXCII. C. Fannio & M. Messalla Consulibus, cuius sanctiones fusius describunt Plin. Hist. Nat. X, 50. Gell. Noct. Attic. II, 24. Althenaeus Deipnos. VI, extr. Macrob. Saturn. III, 17. FVRIA *de modo legatorum*, incertae aetatis. *pr. Inst. de L. Falc.* Cuiac. Obs. XX, 3.

§. LXXXIV.

A litteris G. H. I. Proximae sunt leges GENVCIA *de foenore*, lata anno V. C. CCCCXIII. C. Martio IV. & Q. Seruilio Coss. a L. Genucio, Trib. pl. qua cautum, *ne foenerare liceret*. Liu. VII, 42. Noodt de foenorib. & vsur. II, 4. HOSTILIA de furtis, *vt furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes, aut reip. caussa abessent. pr. Inst. de iis per quos ag. poss.* lata, vti videtur, ab A. Hostilio & A. Atilio Coss. anno V. C. DLXXXIII. IVLIA *Maiestatis*, lata a Iulio Caesare anno V. C. DCXLIII. Cic. Philipp. I, 9. de qua singulare Schediasma de-

debemus. NIC. HIER. GVNDLINGIO: itemque *repetundarum*, ab eodem conditate, Cic. Vatin. Cap. XII. & pro Rabir. Cap. XIV. Suet. Iul. cap. XLIII. *l. 6. §. 1. ff. ad L. Iul. repet.* Reliquae LEGES IVLIAE pleraeque ab Augusto videntur profectae.

§. LXXXV.

Celeberrima est lex LAETORIA de *circumscriptione adolescentum*, quae, quia prima minorennitatis annos definiuit, QVINAVICENNARIA adpellatur a Plauto Pseud. I, 3, v. 68. * Plauto igitur antiquior est, auctoremque habuisse videtur M. Laetorium Plancianum, Trib. pl. anno V. C. CCCCXC. Ea antiquior est LICINIA *de foenore de capite deducendo*, lata Furio, Cloelio reliquisque Tribunis mil. cos. pot. anno V. C. CCCLXXVI. a C. Licinio Stolone Trib. pl. Liu. VI, 35. Exstiterunt etiam LICINIA *de ambitu & sodalitiis*, lata a M. Licinio Crasso & Cn. Pompeio Coss. anno V. C. DCXCVII. Sigon. de Iudic. II, 30. p. 437. nec non LICINIA *sumtuaria*, lata a P. Licinio Crasso, Diuite, & Cn. Lentulo Coss. anno V. C. DCLVI. cuius sanctiones *A litteraL.*

F 2 re-

recensent Cic. ad Famil. Epist. VII, 27. Gell. Noct. II, 24. Macrob. Saturn. III, 17. Denique nec praetermittenda LVCTATIA *de vi*, lata Q. Luctatio & C. Mario IV. Coss. anno V. C. DCL. vt de *vi*, diebus etiam festis ludisque publicis quaereretur. Cic. pro Coel. Cap. XXIX.

* Multis capitibus constitit LEX LAETORIA, quae, tanquam sparsa Hippolyti membra, hic colligere iuuat. *Primum* haec lex annos minorennitatis definiuit. *l. 2. C. Theod. de donat.* *Deinde* minoribus petentibus, caussa cognita, curatores dari iussit. Iul. Capitolin in Marco Cap. X. *Tum porro* adolescentes instipulari vetuit, eorumque promissis detraxit vim obligandi. Sueton. apud Priscian. Lib. XVIII. Plaut. Rudent. V, 3. v. 24. Raeuard. Protribun. Cap. X. *Praeterea* creditoribus negauit actionem aduersus adolescentes, quibus crediderant. Plaut. Pseud. I, 3, v. 68. *Denique* minores, in quocumque contractu, dolo malo circumuentos, in integrum restitui iussit. Cic. de Offic. III, 15.

§. LXXXVI.

A litteris M & O. Lex MAMILIA de finibus agrorum frequenter laudatur a scriptoribus de limitibus, in primis a Siculo Flacco de condit. agr. p. 9. lataque est anno V. C. DCXLII.

DCXLII. * MANLIA de vicesima fortunarum a manumissis in aerarium inferenda, lata a Cn. Manlio & C. Martio Coss. anno V. C. CCCXCVIII. Liu. VII, 16. MARIA *de ambitu*, lata a C. Mario, Tribuno pl. anno V. C. DCXXXIV, L. Caelio & L. Cotta Coss. *vt pontes angustiores fierent.* Cic. de Legib. III, 17. OPPIAM de cultu mulierum, *ne qua plus semiuncia auri haberet*, *neu veste versicolori vteretur*, *neue iuncto vehiculo in vrbe vel oppido*, *aut propius inde mille passibus*, *nisi sacrorum caussa*, *veheretur*, tulit C. Oppius, Trib. pl. anno V. C. DXXXIX. Q. Fabio & T. Sempronio Coss. Liu. XXXIV, 1. Tacit. Annal. III, 33. 34. Denique lex ORCHIA, *de numero conuiuarum*, nomen tulit a C. Orchio, Trib. pl. anno V. C. DLXX. Q. Fabio & M. Claudio Coss. De ea videndi Festus in *Obsonitauere.* & Macrob. Saturn. III, 17.

* Quum huius legis MAMILIAE sanctionem paucissimi intelligant: de ea hic pauca disserere operae pretium fuerit. Leges XII. Tab. quinque pedum semitam relinqui iusserant inter fundos, quod *limitare iter*, seu μεθόρια, dicebatur. Idem LEX MAMILIA sanxerat. Flacc. Siculus p. 8.

Signantur arbores finales vtrimque, id est, ex vtraque possessione, intra pedes quinos, vt legis Mamiliae commemoratae locum habeant. Planius rem eloquutus Aggen. Vrbic. p. 53. *De fine*, inquit, *Lex Mamilia quinque pedum latitudinem praescribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri.* Similia habent Frontinus p. 40. & Simplicius p. 83. quae hic non adscribimus. Erat ergo hoc spacium inter fundos, & in ipsis finibus: non quaquauersus circa fines, vt contra Hotomannum ostendit Guil. Goesius in Not. ad Sicul. Flacc. p. 129. eiusque limitaris itineris nulla erat vsucapio. Aggen. Vrbic. p. 53. Alciat. de quinque ped. praescript. Tom. III. Op. p. 345. Goes. ibid. p. 191. Si quando ergo de his quinque pedibus oriebatur controuersia, quod imminuti esse ab alterutro vicino dicerentur, ea vocabatur *controuersia finalis* vel *de finibus*, seu *iudicium finium regundorum*, in quo nulla habebatur ratio vsucapionis. Sin de ipso agro lis incideret, erat haec *controuersia de loco*, & res non ad agrimensores, sed ad Praetorem pertinebat. Inualuit postea, vt spacium quinque pedum non quidem vsucapi, at actioni longissimo tempore praescribi posset. Sed id mutarunt Valentinianus, Theodosius & Arcadi-

cadius Augg. *l. 4. C. Theod. fin. reg.* quam operoſe expoſuit & a Iac. Gothofredi Ψευθερμηνέια vindicauit Goeſius in Not. ad Script. de limit. p. 192. Denique quum Iuſtinianus praeſcriptionem tricennalem itineris limitaris iterum conceſſiſſet: *l. 3. C. fin. reg.* factum eſt, vt ſpacium V pedum ſenſim plane aboleretur, & fines eſſent *lineares*, de quorum confuſione quotidianas naſci querelas oportere, facile vnusquisque intelligit.

§. LXXXVII.

Lex PINARIA *de ambitu, & toga candida non addenda petitionis cauſſa*, lata eſt anno V. C. CCCXXIII. a L. Pinario Trib. mil. coſ. pot. eiusque collegis. Liu. IV, 25. PLAVTIAM *de vi, & vi ſurreptis non vſucapiendis, nec non de iudiciis* latam cenſent anno V. C. DCLXIII. Suppl. Liu. LXXIV, 44. *l. 33. ſ. 2. de vſurp. & vſuc.* POETELIA *de ambitu, deque nundinis ac conciliabulis eius rei cauſſa non obeundis*, lata a C. Poetelio, Trib. pleb. anno V. C. CCCXCVII. C. Fabio & C. Plautio Coſſ. Liu. VII, 15. Ab ea diuerſa eſt POETELIA PAPIRIA, qua, rogantibus C. Poetelio & L. Papirio Coſſ. anno V. C. CCCCXXIX cautum eſt, *A littera P.*

 ne

ne quis, nisi noxam meritus, in compedibus haberetur, vtque pecuniae creditae caussa bona in posterum, non corpora, obnoxia essent. Liu. VIII, 28. Varro de Lingu. Lat. VI, 5. p. 85. Tertullian. Apolog. Cap. IV. Porro & POMPEIAE exstant variae, veluti *de parricidiis*, *de vi*, *de ambitu*, quae omnes latae a Cn. Pompeio Magno, quum inusitato exemplo solus fasces teneret anno V. C. DCC.* Sigon. de Iudic. II, 30. PVBLICIA *de lusu* incertae aetatis est: *l. 3. ff. de aleat.* PVBLILIAM vero *de plebiscitis* iam supra attigimus. (§. XXXVII.

* Memoriae prodiderunt Isidor. Hispal. Origin. V, 1. & Gratian. *can. 2. dist. 7.* Pompeium Cos. *primum leges in libros redigere voluisse, sed non perseuerasse, obtrectatorum metu.* Quum vero haec nemo veterum, quod sciam, referat: & tamen vix probabile sit, ea Isidorum sine auctore scripsisse: res in medio relinquenda videtur.

§. LXXXVIII.

A littera S. Dubiae aetatis sunt leges SCANTINIA de nefanda Venere, cui facem accendere studuit V. C. CHRISTIVS: (Vid. etiam Guil. Hoffmannus in Comment.

ment. ad Leg. Iul. de adult. I, 26. p. 52. seq.) & SCRIBONIA, quam singulari commentatione illustrauit IAC. RAEVARDVS. * Certius constat, legem SERVILIAM *repetundarum*, cuius fragmenta ex vetustissimo monimento extulit Sigon. de Iudic. II, 27. anno DCXLVIII. conditam, ab eodemque Sigonio ita illustratam esse, vt otium nobis omnino fecisse videatur.

* Ant. Augustinus de Legibus p. 130. legem Scriboniam tribuit auctori, L. Scribonio Liboni, de quo Cic in Bruto Cap. XXIII. & de Orat. I, 53. Raeuardus p. 497. L. Scribonio Liboni, Cos. anno V. C. DCCLXVIII. collega Sisenna Statilio Tauro. Sed quum priorem sententiam solidis argumentis profligarit Galuan. de vsufr. Diss. XII, 4. posteriorem ipse Raeuardus incertam esse fateatur: verosimillimum adhuc videtur, quod eidem Galuano, aliisque viris doctis, ac nuper V. C. Herm. Noordkerkio Disqu. de Lege Petron III, 6. p. 90. in mentem venit, eam latam esse sub Augusto a L. Scribonio Libone Cos. collega M. Antonio, anno V. C. DCCXIX.

§. LXXXIX.

De LEGE TITIA, quae *de lusibus & spon-* *A litteris T. & V.*

ſponſionibus egit, *l. 3. ff. de aleat.* nihil me compertum habere fateor. At TVLLIA *de ambitu* auctorem habet M. Tullium Ciceronem Coſ. cum Antonio anno V. C. DCLXXXIX. de eaque videndus Car. Sigon. de Iudic. II, 29. p. 428. Denique VOCONIAM *de mulierum hereditatibus & de legatis* anno V. C. DLXXXIII. Coepione & Philippo Coſſ. tulit Q. Voconius Saxa, Tribunus pl. Cic. in Verr. I, 42. eamque ſingularibus commentariis illuſtrarunt FRANC. BALDVINVS & IAC. PERIZONIVS.

§. XC.

SCa hoc tempore non erant ſpecies iuris ſcripti.

Nihil adhuc diximus de SENATVS CONSVLTIS, quorum tamen innumera hoc temporis interuallo facta eſſe, nemo ignorat. Enim vero, quod de ſua aetate ſcribit Vlpianus *l. 9. ff. de legib. non ambigi, Senatum ius facere poſſe:* id ad liberae reip. tempora plane non pertinet. Erat Senatui ius, deliberandi de republica, controuerſias, in Italia gliſcentes, componendi, legationes decernendi excipiendique, indicendi ferias & ſupplicationes, Polyb. Hiſt. VI, 12. de iisque rebus etiam SCa fiebant, aut, ſi quis ma-

maiorum magiſtratuum vel Tribunorum pleb. interceſſiſſet, AVCTORITATES ſcribebantur. Dio Caſſ. LV. p. 550. Cic. Epiſt. ad Famil. VIII, 8. At noua iura SCis inuecta eſſe ante Caeſarum tempora, nusquam legeris. *

* Verum tamen eſt, populum *nec iure rogari, nec iure ſciſcere* potuiſſe, niſi auctor fieret Senatus, eamque in rem ſcriptum eſſet SCum, Liu. I, 17. VIII, 12. Plutarch. in Coriolan. p. 227. Cic. Brut. cap. XIV. Appian. de Bello Ciu. Lib. I. p. 650. Exſtitiſſe eam in rem legem veterem MAENIAM, quam Feſtus *in prorſus* MINIAM. Non. Marcellus vero MANIAM vocat, eaque cautum fuiſſe, vt patres in comitiorum euentum auctores fierent, ex eodem Ciceronis loco diſcimus. At ſaepe hanc legem inſuper habuerunt turbulenti Trib. plebis, qui ſeditioſiſſimas ſaepe rogationes, inconſulto ac refragante Senatu, promulgabant, easque, patribus necquidquam diſſuadentibus, perferebant.

§. XCI.

Contra ea, quum PRVDENTVM ſeu IVRISCONSVLTORVM permagnam hoc temporis interuallo auctoritatem fuiſſe, dixerimus: (§. XLVII. ſequ.) *ICtorum huius aetatis recenſus.*

ope-

operae pretium fuerit, horum recensum hic instituere, &, quae de iis notatu digna videbuntur, veluti per lancem saturam, memorare, eademque opera quae BERN. RVTILIVS, IO. BERTRANDVS, GVIDO PANCIROLVS, GVIL. GROTIVS, IAN. VINC. GRAVINA, similesque scriptores, vel praeteruiderunt, vel perperam tradiderunt, supplere atque emendare.

§. XCII.

Inter hos C Papirius & App. Claudius Decemuir.

Apud Pomponium ICtorum agmen ducit PAPIRIVS, *Pontifex Max.* iuris Papiriani, paullo post exactos reges, auctor, de quo iam supra diximus. (§. XV.) Proximus est APPIVS CLAVDIVS, *vnus ex Decemuiris, cuius maximum consilium in XII Tabulis scribendis fuit. l. 2. §. 36. ff. de orig. iur.* Sed de eo quoque pleraque supra occupauimus: (§. XXIII. sequ.) quibus id iam addendum, quod Appius ille impotente libidine sua non modo sibi, sed & reip. maximum intulerit detrimentum, ac proinde coniectus in carcerem morte voluntaria dignum tantis flagitiis supplicium anteuerterit, anno V. C. CCCVI. Liu. III, 58.

§. XCIII.

§. XCIII.

Subiungit his Pomponius APPIVM CLAVDIVM, *eiusdem generis*, * quem CENTVMMANI cognomen tulisse, maximamque scientiam habuisse, ait. At quum alii eum CAECVM vocent, mirum est, quam Criticis vapulet bonus Pomponius: quum tamen, nihil impediat, quo minus qui ob casum senex *Caecus* dictus est, antea Centummanus vocatus sit. Bynckersh. Praeterm. p. 58. Honores inuerso fere ordine gessit, primum censor anno *V. C. CCCCXLII*, quo tempore viam Appiam strauit, & aquam Claudiam in vrbem induxit. *l. 2. §. 36. ff. de orig. iur.* Liu. IX, 29. Ald. Manut. Quaesit. per Epist. I, 2. p. 181. Deinde anno *CCCCXLVI.* & *CCCCLVI.* Consul, Liu. IX, 42. X, 18. & sequente anno Praetor creatus est. Liu. X, 22. Senex, licet luminibus orbus, viribusque defectus, tamen & clientibus se dedit, & lectica delatus in Senatum, sua potissimum sententia effecit, quo minus Pyrrhus Rex in vrbem admitteretur. Epit. Liu. XIII. Plutarch. in Pyrrh. p. 394. Postremo & id obseruat Pomponius, eum litteram caninam in quibusdam vocabulis reperisse, ** *Appius Claudius Caecus.*

vt

vt quum antea dicerent *dolosem*, *eso*, *misesia*, *mesidie*, *melios*, *vapos*, & similia, (vid. Varron. de Lingu. Lat. VI. p. 70. Quinctilian Inst. I, 4.) postea dicere mallent *dolorem*, *ero*, *miseria*, *meridie*, *melior*, *vapor* &c.

* Ne decipiaris ab iis, qui hic omnia miscent, dabimus operam, vt plures Appios distinguamus. En ergo Schema:

ATTA CLAVSVS, qui Regillo, oppido Sabinorum, Romam cum magna clientium turba migrauit, & inter patricios adlectus, consul fuit anno V. C. 258. Plutarch. in Poplic. p. 108. Suet. Tiber. Cap. I. Tacit. Annal. IV, 9. XII, 25.

APP. CLAVDIVS REGILLENSIS Cos. anno V. C. CCLXXXII. Liu. II, 56.

C. CLAVDIVS, qui pertaesus flagitiorum Appii, ex fratre nepotis, Regillum remigrauit. Liu. III, 58.

APP. CLAVDIVS CRASSINVS, Decemuir, manus sibi intulit anno V. C. 306.

APP. CLAVDIVS Trib. Mil. Cos. pot. anno V. C. 331. Liu. IV, 35.

APP. CLAVDIVS CRASSVS, de cuius contentione cum Trib. pl. anno V. C. 387. Liu. VI, 40.

C. CLAVDIVS CRASSINVS REGILLENSIS Cons. anno V. C. 406. in magistratu illo decessit. Liu. VII, 25.

APP. CLAVDIVS CAECVS, Pomponio CENTVMMANVS, IC. de quo hic agimus. **Pom-

** Pomponius ea de re tam loquitur ambigue, vt nescias, Appiusne noster, an alius, qui ab eo processit, litteram istam inuenerit. Sed quum Cicero Epist. ad Famil. IX, 21. diserte scribat, L. Papirium Crassum primum *Papisium* vocari desisse, anno V. C. CCCCXV, non alii eius inuenti laus debetur, quam Appio Caeco, siquidem pater iam anno V. C. CCCCVI obierat, filius vero Appii nostri tum nondum eius aetatis fuit, vt ab eo tale quid proficisci potuisse videatur.

§. XCIV.

Fuit post eos, teste eodem Pomponio, *maximae scientiae* SEMPRONIVS, *quem populus Romanus σοφὸν, id est, Sapientem adpellauit, nec quisquam ante hunc, aut post hunc, hoc nomine cognominatus est.* * *l. 2. §. 37. ff. de orig. iur.* At non fuit post Appium Sempronius, sed iisdem paene temporibus floruit, quippe consul anno *V. C. CCCCXLIX* cum P. Sulpicio, Liu. IX, 45. cum quo etiam de Aequis eo anno triumphauit. Fasti Capitolin ad h. ann. Anno *V. C. CCCCLIII.* Pontifex & Censor, & paullo post, M. Valerio Coruo Dictatore, Magister Equitum creatus est. Liu. X, 9. Et tamen vir consularis, censori-

Sempronius. Σοφὸς.

ſorius ac triumphalis, praeturam anno *V. C. CCCCLVI.* ſuſcipere non eſt dedignatus. Liu. X, 21. Vulgo eum vxori miſiſſe repudium narrant, ob eam ſolam cauſſam, quod ludos ſpectarit. Sed Valerius Max. I, 3. qui hoc refert, diſerte ait, diuortium hoc fuiſſe tertium ab illo, quod fecerit Sp. Caruilius. Quum vero hic anno demum DXXI primus vxorem res ſuas ſibi habere iuſſerit: conſequens ſane eſt, vt is alius fuerit Sempronius Sophus, qui tam ſeuera animaduerſione vxoris curioſitatem vltus eſt. Vid. Guil. Hoffm. ad Leg. Iul. de adulter. Cap. I. p. 22. ſequ. Filium habuit noſter eiusdem nominis, qui & ipſe Coſ. anno *V. C. CCCCLXXXIV.* de Picentibus triumphauit, Faſt. Capit. h. a. & anno *V. C. D.* Cenſor luſtrum condidit. Epit. Liu. XVIII.

* Haeſit quidem id cognomen poſteris, nec deſunt gentes aliae, quibus inſignis prudentia nobile ac perpetuum cognomen peperit. Habet enim hiſtoria *Atilium* & *Laelium* SAPIENTES, *Scipionem* CORCVLVM, *Sex. & P. Aelios* CATOS, M. *Procium* CATONEM: at Graecum σοφȣ cognomen in Graecia ſeptem tantum eiusdem aetatis viris; Romae ſoli poſt hominum

minum memoriam P. Sempronio datum. vnde& SAPIENTIAE ſimulacrum in gentis Semproniae numis cuſum reperimus. Rupert. ad Pomp. Enchir. p.318. Quae quum ita ſint, adſentiri non poſſumus Reineſio, qui ad Inſcript. p.36. Sempronios dictos exiſtimat, quaſi σώφρονας, atque inde etiam originem cognominis σοφῶν, tanquam ſynonymi, argute deriuat.

§. XCV.

Aetate proximus fuit TIBERIVS CORVNCANIVS, quem primum omnium iurisprudentiam publice profeſſum eſſe, diximus. (§. XLIX) Eum nihil ſcripſiſſe, Pomponius obſeruat, addens tamen, diligenter illum conſulentibus de iure reſpondiſſe: *l. 2. ſ. 38. ff. de orig. iur.* ob quam iuris ſcientiam dexteritatemque in reſpondendo eum laudat etiam Cicero de Orat. III, 15. Conſul fuit anno V. C. CCCCLXXII. collega P. Valerio Laeuino, poſteaque primus e plebe Pontifex Max. creatus eſt, anno V. C. D. Epit. Liu. XVIII. Obiit in extrema ſenectute anno V. C. DIX. quippe quo ei in Pontificatu max. ſurrogatum eſſe L. *Tiberius Coruncanius.*

G Caeci-

Caecilium Metellum, refert Epitomator Liuii Lib. XIX.

§. XCVI.

L. Cincius Alimentus. In eumdem censum Guil. Grot. I, 2. refert L. CINCIVM ALIMENTVM.* Quamuis enim a Pomponio sit omissus: eius tamen iurisperitiam non inepte collegit ex libro DE OFFICIO IVRISCONSVLTI, quem laudat Festus *in voce Subici.* Quaesturam ille gessit anno DXXXIV. Praeturam Siciliae anno DXLII. Liu. XXVI, 23. 28. Inclaruit inprimis bello Punico II. nam & Cannensis exercitus reliquias sequente anno DXLIII. duxit, Liu. XXVII, 7. & ab Hannibale captus, quantum is exercitum in Italiam adduxerit, ex eius ore audiuit. Liu. XXI, 38. Praeter librum paullo ante laudatum scripsit ANNALES, FASTOS, DE COMITIIS, DE CONSVLVM POTESTATE, MYSTAGOGICA, DE VERBIS PRISCIS, DE RE MILITARI, ex quibus reliquias haut contemnendas collegit, & suae Sallustii editioni subiecit Cl. Wassius, cuius exemplum deinde & Cortius sequutus est. Conf. Voss. de Hist. Graec. IV, 13. & de Hist. Lat. I, 4.

*Non

* Non confundendus cum hoc L. Cincio M. CINCIVS M. F. ALIMENTVS, Legis Cinciae conditor, (§. LXXXII.) quamuis eorumdem fere temporum fuerit, de quo, totaque gente Cincia, quidquid dici poterat, cum cura collegit Fridr. Brummerus in Comment. ad L. Cinc. Cap. I, 7. sequ. p. 3. sequ.

§. XCVII.

P. Scipio Nasica, Optimus eiusque filius Corculum.

Paullo minor natu, at eorumdem tamen temporum, fuit PVBLIVS (non CAIVS, vti Pomponius eum vocat) CORNELIVS SCIPIO NASICA, * qui anno V. C. DXLVIII. adolescens nondum quaestorius, VIR OPTIMVS à Senatu adpellatus est, dignusque habitus, qui Matrem Deum, Ostiam aduectam, exciperet. *l. 2. §. 37. de orig. iur.* Liu. XXIX, 14. Valer. Max. VIII, 25. Excerpt. Peiresc. p. 606. Praetor anno DLIX. rem bene ac prospere gessit in Hispania, ac insequente anno pro Praetore Lusitanos paene perdomuit. Liu. XXXV, 1. Consul deinde creatus anno DLX. Boios ad internecionem cecidit, de iisque triumphum egit pulcherrimum. Liu. XXXVI, 37. sequ. Censuram peten-

ti anno V. C. DLXVIII, Cato praelatus eſt, Liu. XXXIX, 40. ſed tanto honorificentius fuit de eo iudicium populi, quando ei publice domus in ſacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet. *l. 2. ſ. 37. de orig. iur.* Filius ipſi fuit, cum aliarum virtutum, tum iurisprudentiae laude, patris ſimillimus, & vel ob ſapientiam, vel ob communem ciuium amorem CORCVLVM adpellatus, qui anno V. C. DXC. & DXCVII. conſul fuit, & grauem de Carthagine non delenda ſententiam aduerſus Catonem dixit. Rupert. ad Pompon. Enchir. p. 351.

* Quum facillima ſit in tot Scipionum rebus errandi occaſio: Praeclare ſane de rep. litteraria meritus eſt Rupertus, quod p. 323 accuratum eorum ſtemma dedit, & Valentini Forſteri lapſus paene pueriles ad oculum oſtendit. Nos breuem inde excerpemus tabulam:

L.

L. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO Cos. anno V. C. 494 de Poenis, Sardis & Corsis triumphauit.

P. CORNELIVS L. F. Scipio Cos. anno 535. qui primus cum Annibale minus prospere sub Alpibus conflixit. Flor. I, 6.

P. CORNELIVS P. F. L. N. SCIPIO AFRICANVS, victor Hannibalis.

CN. CORNELIVS L. F. L. N. CALVVS. Cos. anno 531. cum fratre in Hispania occubuit.

P. CORNELIVS CN. F. L. N. SCIPIO NASICA, ICtus, vir optimus cognominatus.

P. CORNELIVS P. F. CN. N. SCIPIO NASICA, Corculum dictus, Cos. anno DXC. & DXCVII.

§. XCVIII.

An & Q. Mucius eorum temporum ICtus?

Dubiae sanitatis est locus Pomponii, vbi ICtis horum temporum accenset quemdam Q. MVCIVM, quem, legatum ad Carthaginienses missum, ex duabus tesseris positis, vna pacis, altera belli, datoque arbitrio, vtram vellet, Romam referret, vtramque scribit sustulisse, ac addidisse caussam, Carthaginienses petere debere, vtram accipere mallent. *d. l. 2. §. 37.* Vt enim iam non dicam, rem ab aliis aliter narrari, nemo veterum Q. MVCIVM, in ea legatione fuisse obseruauit,

 sed

ſed tale quid plerique narrant de Q. FABIO MAX. qui deinde CVNCTATORIS nomen meruit. Liu. XXI, 18. Gell. Noct. X, 27. Silius Italic. II. v. 382. ſequ. Flor. Hiſt. II, 6. Eum vero Fabium iuris prudentiam reliquis laudibus ſuis adiunxiſſe, ego quidem nuſquam reperio. *

* Equidem Rupert. in Pompon. Ench. p. 335. tale quid reperiſſe ſibi viſus eſt apud Ciceron. de Senectute Cap. IV. vbi Cato de Fabio: *Nec vero ille in luce modo, atque in oculis ciuium magnus, ſed intus domique praeſtantior. Qui ſermo? quae praecepta? quanta notitia antiquitatis? quae ſcientia iuris? augurii?* At male interpungit Rupertus, Cato enim non laudat Fabii ſcientiam iuris, ſed *ſcientiam iuris augurii*, vel auguralis, quae & in iuris imperitum cadebat.

§. XCIX.

P. Aelius Paetus. Iisdem paene temporibus iurisprudentiae laude floruerunt duo fratres celeberrimi, P. & SEX. AELII PAETI CATI, quorum alterum IVRIS AELIANI auctorem fuiſſe, iam ſupra praemonuimus. (§. XLVI.) PVBLIVS anno V. C. DXLVIII. Aedilis plebis, ac ſequente anno Praetor, Liu. XXIX, 38. anno DL. Magiſter Equitum C. Seruilii Gemini, Dicta-

Dictatoris, Liu. XXX, 39. sequente consul, Liu. XXX, 40. ac biennio post Censor creatus, Liu. XXXII, 7. pestilentia periit anno V. C. DLXXVIII. Liu. XLI, 26.

§. C.

SEX. AELIVS CATVS per eosdem fere honorum gradus decurrens, itidem ad consulatum & censuram peruenit, quorum illum anno V. C. DLIV. hanc anno DLVIII. ab V. C. gessit cum C. Cornelio Cethego. * Liu. XXXI, 7. XXXIV, 44. XXXV, 9. De eius TRIPARTITIS supra diximus. (§. XLVI.) Addit Pomponius, *l. 2. ff. 38.* ei & alios libros, sed dubiae auctoritatis, attribui. *Tripartita* vel maxime manibus eruditorum trita videntur, tanquam insigne vniuersi iuris systema, iisque, nisi fallor, vsus est & Cicero Epist. ad Famil. VII, 22. vbi tractat quaestionem iuris, *possetne heres, quod furtum antea factum esset, recte furti agere?* *Sex. Aelius Paetus Catus.*

* Plin. Hist. Nat. XXXIII, 11. refert, Aelium Catum L. Aemilii Paulli, qui Perseum Macedoniae Regem debellauit, generum fuisse, eumque quum legati Aetolorum in consulatu prandentem in fictilibus, adiissent,

ſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepiſſe, neque aliud habuiſſe argenti ad ſupremum vitae diem, quam duo pocula, quae L. Paullus, ſocer, ei ob virtutem donaſſet. Sed hauſit haec Plinius ex Valerio Maximo, quum manifeſto falſa ſint. Paulli enim Aemilii gener non fuit *Sex Aelius Catus*, tum, ſi adhuc vixit, ſenex grandaeuus, ſed *Q. Aelius Tubero*, quem ob virtutem operamque, ſibi in bello Macedonico nauatam, generum elegerat Aemilius. Plutarch. in Paull. Aemil. p. 257 Praeterea Tubero iſte nec Catus dictus eſt, nec conſul fuit, ſed vir optimus, ϰ̀ μεγαλοπρεπέϛαϯα Ῥωμαίων πενίᾳ χρησάμενος, *qui inter Romanos magnificentiſſime paupertatem tulit*, ceu loquitur Plutarchus. Monendum id fuit, quia Plinium hic permulti ſequuntur, & ex ICtis maxime Coraſius, Hotomanus, Io. Bertrandus & alii.

§. CI.

L. Acilius (non P. Atilius.) Sapiens.

Iungit Pomponius Aeliis fratribus P ATILIVM, quem *primum* SAPIENTEM *a populo adpellatum*, ſcribit. *d. l.* 2. *ſ*. 38. Quamuis vero illuſtris Romae fuerit Atiliorum familia, multisque imaginibus clara, de qua praeclare meritus eſt V. C. Iac. Perizon. Animadu. Hiſt. Cap. I, p. 26.

vbi

vbi & Atiliorum ſtemma dedit: hic tamen parum accuratus videtur Pomponius, qui P. Atilium nobis obtrudit pro L. ACILIO. De hoc enim Cicero in Lael. Cap. II. *Scimus, L. Acilium* (ita enim habent libri optimi,) *apud patres noſtros adpellatum ſapientem, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur.* Et Lib. II, 23. de Legibus diſerte vocatur L. Acilius, & Sex. Aelio iungitur. In Aciliae gentis denariis Ianus bifrons, prudentiae & ſapientiae ſignum, conſpicitur apud Fulu. Vrſin. de famil. Rom. p. 3. quumque idem χάραγμα in Atiliorum etiam numis p. 42. reperiatur: veroſimile eſt, iam olim vtramque gentem ſibi id decus vindicaſſe. Quaedam ad XII Tabulas ſcripſiſſe hunc ſiue Acilium, ſiue Atilium, iam ſupra obſeruauimus. (§. XXVIII.)

§. CII.

Porro ICtis horum temporum Grotius I, 4. adſcribit SER. FABIVM PICTOREM, quem *iuris & litterarum, & antiquitatis peritiſſimum* fuiſſe, teſtatur Cic. in Bruto Cap. XXI. Poſſet quis exiſtimare, hunc ipſum eſſe *Q. Fabium Pictorem*, Annalium ſcriptorem, cuius *Ser. Fabius Pictor & Q. Fabius Labeo.*

 fra-

fragmenta in Cl. Waſſii Sylloge primum ſtatim locum obtinent. Sed quum Ciceroni Seruius ille M. Porcio Catone natu paullo minor fuiſſe dicatur: magis eſt, vt ex filiis eius aliquem intelligamus, de quo altum alioquin in hiſtoria Rom. ſilentium eſt. Celebrior Q. FABIVS LABEO, quippe Quaeſtor anno V. C. DLVI, Liu. XXXIII, 42. ſeptimo poſt anno Praetor, Liu. XXXVII, 47. 50. anno DLXIX. Conſul, Liu. XXXIX, 45. ac triennio poſt Pontifex max. fuit. Eum iisdem fere laudibus, ac Fabium Pictorem, exornat Cic. in Bruto Cap. XXI.

§. CIII.

T. Manlius Torquatus.

T. MANLIVM A. F. T. N. TORQVATVM, *iuris ciuilis & ſacrorum Pontificalium*, teſte Valer. Max. V, 8, 3. *peritiſſimum*, Conſulem cum Cn. Octauio anno V. C. DLXXXVII. fuiſſe, obſeruat Cicero de Fin. I, 7. * ſimulque refert, eum filium, compertum repetundarum, iudicio domeſtico damnaſſe, & in conſpectum ſuum venire vetuiſſe. Quibus addit Valerius, quum filius, tam triſti perculſus ſententia, ſuſpendio finiiſſet vitam, eum ne exſequiis quidem adoleſcentis inter-

terfuisse, sed tum maxime, quum funus eius duceretur, consulentibus vacuas aures commodasse.

* Mendum tamen apud Ciceronem est in praenomine. Quem enim exemplaria Ciceronis omnia *Lucium* vocant, ei Fasti Capitolini, his in rebus accuratissimi, TITI praenomen tribuunt, idemque praenomen apud Valerium Maximum reperitur. Obiter monemus, Colerum in Notis ad Val. Max *Manlium* hunc confundere cum *Manilio*, de quo paullo post, eumdemque errorem errasse Bern. Rutil. in Vit. ICt. XV, 21. ideo iure notatum a Guil. Grot. in Vit ICt. I, 4.

§. CIV.

Eidem Valerio Max. debemus notitiam C. MARTII FIGVLI, qui circa annum V. C. DCXX. *iuris ciuilis studio celeberrimus* fuit. At istius eum pertaesum est, quum consulatum petens repulsam tulisset. Eius enim ignominiae dolore perculsus, quum ad eum postero conciliorum die multi consulendi caussa confluxissent, omnes rerum suarum incertos dimisit, praefatus: *At vos consulere scitis, consulem facere nescitis?* Val. Max. IX, 3, 2. qui subiungit iudicium: *C. Martius Figulus.*

Di-

Dictum grauiter, & merito, sed tamen aliquanto melius non dictum.

§. CV.

M. Porcius Cato Censorius, pater.

Qui iisdem temporibus floruit, totumque paene seculum doctrina prudentiaque sua illustrauit, M. PORCIVS CATO, Quaesturam gessit anno DXLVIII. Liu. XXIX, 25. Praeturam anno V. C. DLIV. Liu. XXXII, 7. Consulatum triennio post, Liu. XXXIII, 42. a quo tempore bellum in Hispania prosperrime gessit, ac censura anno V. C. DLXVIII. seuerissime acta, Liu. XXXIX, 41. sequ. anno demum V. C. DCIV. L. Martio & M. Manilio Coss. octuagenario maior decessit. Cic. in Brut. Cap. XV. Mirifice eum laudat Liu. XXXIX, 40. obseruatque, *tam versatile ei ingenium pariter ad omnia fuisse, vt natum ad id unum dixisses, quodcumque ageret. in bello enim manu fortissimum, multisque insignibus clarum pugnis, eumdem, posteaquam ad magnos honores peruenerit, summum imperatorem; eumdem in pace, si quis ius consuleret, peritissimum, si caussa agenda esset, eloquentissimum fuisse.* Quales laudes in eum congerunt etiam Cic. de

Orat.

Orat. III, 15. Cornel. Nep. in Caton. Cap. III. Quinctilian. Inst. XII, 3. Opera eius varii argumenti veteres laudant quam plurima, * ex quibus etiamnum exstat illud *de Re rustica*; ex eius vero *originibus*, librisque *de re militari*, *de liberis educandis*, *de moribus*, *praeceptis ad filium*, *epistolis*, *orationibus*, fragmenta, quae supersunt, cum cura collegit laudatus Wassius. Festus etiam eius COMMENTARIOS IVRIS CIVILIS laudat, Gellius Noct. X, 23. librum DE DOTE. Denique RESPONSA eum nouo more, expressis personarum nominibus, edidisse, obseruat Cic. de Orat. II, 33.

* Quod tamen ad opera CATONIS iuridica attinet, non adeo exploratum est, patrine, an filio, de quo statim, sint attribuenda. Saltim an omnia patris sint, dubium est, quum eadem vtriusque sint nomina, eademque vterque iuris peritiae laude floruerit.

§. CVI.

M. Porcius Cato, Filius.

Filium Cato sustulerat sibi ὁμώνυμον, M. PORCIVM CATONEM, iisdemque virtutibus in toga sagoque insignem. Rei sane militaris in bello Macedoni-

donico ſpecimina dederat tam praeclara, vt Aemilius Paullus eum cum Tuberone generum eligeret. Iuris vero ciuilis ſcientia omnes eius aetatis ſuperauit, & egregios de iuris diſciplina libros reliquit. Gell. Noct. XIII, 18. *l. 2. ſ. 38. ff. de orig. iur.* Exſtinctus eſt, viuo adhuc patre, anno V. C. DC. quum iam Praetor eſſet deſignatus, patrique tantum reliquit ſui deſiderium, vt id vnicum fatum intrepidum Catonis animum concuſſiſſe videatur. Cic. de Seneɛt. Cap. XXIII. Debemus ei REGVLAM CATONIANAM, *l. 1. ff. de reg. Caton.* & quidquid Catoni in iure noſtro paſſim adſcribitur. *ſ. 12. Inſt. de adopt. l. 10. ſ. 1. ff. de Aedilit. edict. l. 44. ff. ſol. matr. l. 4. ſ. 1. ff. de verb. oblig. l. 98. ſ. 1. ff. de verb. ſignif.*

§. CVII.

C. Liuius Druſus. C. LIVIVS M. F. MAMILIANVS DRVSVS anno V. C. DCV. conſul fuit, collega P. Cornelio Scipione, & eo potiſſimum nomine laudem maximam conſequutus eſt, quod ſenex, oculis captus, viribusque defectus, conſulentibus nihilominus de iure reſpondit, quum, quorum res eſſet, ſua ipſi non videntes, caecum

cum adhibere ducem non dubitarent. Cic. Tusc. Quaest. V, 38. Valer. Max. VIII, 7. Addit Valerius, eum vtilissima monimenta, licet acie oculorum destitutum, composuisse, quae saltim in P. Iuuentii Celsi manus videntur incidisse. Drusum enim hic citat *l. 38. §. 1. ff. de act. emt. & vend.*

§. CVIII.

Venio nunc ad triumuiros, *qui ius ciuile fundarunt* ex sententia Pomponii. *l. 2. ff. 39. ff. de orig. iur.* Ex his primus P. MVCIVS SCAEVOLA ex ea gente ortus est, quae iurisprudentiam pro gentili bono habuit, pluresque patriae dedit ICtos eximios.* Noster anno V. C. DCXX. consul creatus est, collega L. Calpurnio Pisone Frugi, biennioque post, quum Crassus occubuisset, pontificatum max. est adeptus. Cic. ad Attic. Epist. XII, 4. de Orat. II, 12. de Nat. Deor. III, 2. pro domo Cap. LIII. Denique phtiriasi eum exstinctum esse, tradit Plutarch. in Sulla p. 475. Reliquisse dicitur DECEM LIBELLOS, *d. l. 2. §. 39.* ex quibus procul dubio decerpta sunt, quae ex huius Scaeuolae opere adferunt, non modo Cicero Topic. Cap. IV & ad Famil. Epist.

P. Mucius Scaeuola.

Epist. VII, 21. sed & ICti nostri, *l. 66. ff. solut. matrim. l. 17. ff. de legation. l. 4. ff. de capt. & postlimin.*

* Magnam ergo denuo gratiam a viris doctis iniit Rupertus, quod plures Mucios, quos iuris scientia nobilitauit p. 389. accurate distinxit. Nos ex eius stemmate pauca huc pertinentia decerpimus:

P. MVCIVS SCAEVOLA.

Q. MVCIVS P. F. SCAEVOLA, Praet. anno 538. Liu. XXIII, 24. 30.

Q. MVCIVS Q. F. P. N. SCAEVOLA, Praet. a. 570. Cos. 578.

Q. MVCIVS. Q. F. Q. N. SCAEV. Augur, Cos. 636. vixit adhuc Sullae temporibus. Val. Max. III, 8. ICtus egregius, quem Cicero audiuit.

P. MVCIVS. Q. F. P. N. SCAEV. Praet. 574. Liu. XL, 44. Cos. 573. triumphauit de Liguribus.

P. MVCIVS. P. F. Q. N. SCAEVOLA, ICtus de quo *l. 2. §. 39. de or. iur.*

Q. MVCIVS P. F. P. N. SCAEVOLA, Cos. 675. Asiae Procos. ICtus, de quo *l. 2. §. 41. de orig. iur.*

P. LICINIVS CRASSVS MVCIANVS, a Crasso adoptatus, Pontif. Max. & ICtus de quo *l. 2. §. 40. de orig. iur.*

§. CIX.

§. CIX.

Alter ex hac triga, M. IVNIVS BRVTVS, vir praetorius, Gracchanis temporibus inclaruit, Cicerone iudice, *vir optimus, & iuris peritissimus*, sed in eo paullo infelicior, quod filium reliquit, gentis suae dedecus, vulturem togatum, accusatorem vehementem ac molestum, & qui paterna bona turpiter disperdidit. Cic. in Bruto Cap. XXXIV. de Orat. II, 55. Librorum ab eo scriptorum septem numerat Pomponius, *d. l. 2. §. 39.* quamvis iam Ciceronis aeuo tres tantum DE IVRE CIVILI pro genuinis habiti videantur. * Cic. Brut. ibid. Ex iis quaedam, quae ad edictum potissimum pertinuerunt, strictim notis illustrasse videtur SER. SVLPICIVS. *l. 2. §. 44. de orig. iur. l. 5. pr. ff. de instit. act.* Bruto vero testimonium frequentissime denunciant Cic. de Finib. I, 4. & ad Famil. Epist. VII, 22. Gell. Noct. Att. VII, 15. & ICti nostri *l. 68. ff. de vsufr. l. 27. §. 21. ff. ad L. Aquill. l. 13. pr. ff. de in diem addict. l. 3. §. 3. ff. de adqu. poss. l. 4. ff. de capt. & postlim.*

M. Iunius Brutus.

* Hinc acute suspicatur V. A. Corn. van Bynkershoek in Praetermiss. p. 67. trans-

 post-

positis vocabulis apud Pomponium legendum esse: *Brutus tres; Manilius septem*, quale quid in mentem venit etiam Io. Bertrando de Iurisperit. II, 6. Ceterum, & Brutum his libris suis intexuisse responsa sua, & quidem expressis personarum nominibus, (CV.) obseruat Cicero de Orat. II, 33. quod institutum vtrum probandum, an reprehendendum sit, disquirit Guil. Grot. Vit. ICtor. I, 5.

§. CX.

M' Manilius. Tertius M' MANILIVS P. F. P. N. vir consularis, fasces anno V. C. DCIII collega L. Marcio Censorino tenuit, Fast. Capitol. ad h. a. quum antea Praetor cum Lusitanis bellum parum prospere gessisset, Appian. in Iberic. p. 286. ac ne consul quidem Carthaginem felicius oppugnasset. Epit. Liu. XLIX. At tanto maior in toga, non modo consulentibus totum se dedit, eorumque commodo transuerso foro quotidie obambulauit, vt omnibus se consulendi copia esset: verum etiam domi suae, quam medicorem in Carinis habebat, omnibus & de iure ciuili, & de filiabus elocandis, fundis emendis, agro colendo, deque omni officio aut negotio sese consulturos admisit. Cic. de Orat. III, 33. Parad. VI, 3.

§. CXI.

§. CXI.

Reliquit DE IVRE CIVILI libros, si Pomponium sequimur, tres, sin illustris Bynkershoekii coniecturam, septem, ac praeterea *volumina scripta* (legere malim *inscripta*) MANILII MONIMENTA, quae qualia fuerint, hodie scimus iuxta cum ignarissimis. Praeterea MANILIANARVM VENALIVM VENDVNDORVM LEGVM * mentionem faciunt Cicero de Orat. I, 58. & Varro de re rustic. II, 5. quas a MONIMENTIS diuersas non esse, existimat Ant. Augustin. de Nom. propr. Pandect. I. p. 211. Ceterum Manilii opera passim citari animaduertimus a Cicerone ad Famil. Epist. VII, 22. Gell. Noct. Attic. XVII, 7. Varrone de Lingua Lat. IV. p. 13. VI. p. 68. sequ. de Re rust. II, 5. denique a Paullo ICto, *l. 3. §. 3. ff. de adqu. vel amitt. possess.* *Eiusque scripta.*

* Hae leges Manilianae *venalium vendundorum* ad iurisprudentiam formulariam pertinuisse videntur. Auctor enim est Plin. Hist. Nat. XVIII, 3. earum obseruationem tam scrupulosam fuisse, vt ne carnes quidem & sues, nisi conceptis verbis, a laniis emerentur, neque mulctae dictio aliter iusta esset, nisi in qua OVIS masculino

 lino

lino genere efferretur, & si bubus & ouibus simul; nisi oues prius, quam boues, nominarentur. Vid. V. C. Eu. Otton. Iurisp. Symbol. Exerc. I, 15. p. 92.

§. CXII.

Q. Mucius Scaeuola Augur.

Subiungimus his Q. MVCIVM. Q. F. Q. N. SCAEVOLAM, vulgo Augurem, consulem anno V. C. DCXXXVI. collega L. Caecilio Metello, qui senex admodum decessit, neque se adduci passus est a L. Sulla, vt C. Marium hostem iudicaret. Val. Max. III, 8. Quantus in respondendo fuerit, vel ex eo patet, quod Cicero *eum iuris ciuilis intelligentia atque omnis prudentiae genere praestitisse, eiusque ianuam & vestibulum in infirmissima valetudine adfectaque iam aetate maxima quotidie frequentia ciuium ac summorum hominum splendore celebratam esse*, testatur in Bruto Cap. XXXIX. sequ. & de Orat. I, 45. Auditores habuit plures, & in his ipsum Ciceronem, ceu ipse testatur in Bruto Cap. LXXXIX. quamuis postea, eo mortuo ad Q. Mucium Scaeuolam Pont. sese contulerit. Cic. de Leg. I, 4. An quidquam scripserit, hodie ignoramus. Arbitrium tamen eius

ius in caussa finium regundorum inter Genuates & Veturios exstat apud Gruter. Inscr. p. CCIV.

§. CXIII.

Quos susperioribus subiungit, Pomponius, CAELIVS ANTIPATER, PAVLLVS VIRGINIVS, SEX. POMPEIVS, Q. AELIVS TVBERO aliis potius artibus, quam eximia quadam iuris scientia, praestitisse videntur. * Quare dicendum potius de P. RVTILIO, RVFO, qui P. Mucium Scaeuolam Pontificem max. audiuit, Cic. de Offic. II, 13. simulque philosophiae, duce Panaetio, Stoico celeberrimo, totum se dedit. Cic. de offic. III, 2. Brut. Cap. XXX. Postquam Consulatu anno V. C. DCXLVIII. collega Cn. Manlio Maximo functus fuerat: iniquissimo repetundarum iudicio oppressus, in exsilium iuit, & Smyrnae, honoratus ab omnibus Asiae ciuitatibus, consenuit, ingratae patriae praeferens exsilium, quod nullo suo merito tolerabat. Ouid. ex Ponto I, 3. v. 6. sequ. Cic. de Orat. I, 53. Valer. Max. VI, 4, 4. Vellei. Paterc. II, 13. Praeter libros HISTORIARVM, DE VITA SVA,

Antipater. Virginius, Pompeius, Tubero, P. Rutilius Rufus.

ANNIBALICA & aliquot orationes, ex quibus, quae ſuperſunt, fragmenta Cl. Waſſius collegit, de iure quoque nonnulla ſcripſit, quae allegantur *l. 10. ſ. 3. ff. de vſu & habit. l. 3. ſ. 9. ff. de penu leg. l. 1. ſ. 1. arb. furt. caeſar.* Edicti, quod ipſe in praetura propoſuit, mentio fit *l. 1. ſ. 1. ff. de bon. libert.*

* L. CAELIVM ANTIPATRVM ipſe Pomponius *plus eloquentiae, quam ſcientiae iuris, operae dediſſe* teſtatur. *l. 2. §. 40. ff. de orig. iur.* quamuis & de hac non adeo magnifice ſentiat Cic. de Orat. II, 13. Scripſit ANNALES, aliaque, quorum oſſa, vt ita dicam, legit Cl. Waſſius. De PAVLLO VIRGINIO veteres, tamquam ex compacto ſilent, niſi ſit ille *A. Virginius*, (ex Aulo enim facile Paullus naſci potuit,) cuius amicitia ſe delectari ait Laelius apud Ciceron. in Lael. Cap. XXVII. SEX. POMPEIVS, Cn. Pompeii Magni patruus & Q. AELIVS TVBERO ob iuris peritiam quidem laudantur a Cicerone in Brut. Cap. XLVII. de offic. I, 6. Gell. Noct. I, 22. ſed ita, vt Stoicos magis videantur profeſſi, quam iuriſconſultos.

§. CXIV.

C. Cornelius Maxi- C. CORNELIVS MAXIMVS ſolo Trebatio auditore, cuius ingenium forma-

mauit, memoriam sui ad posteritatem propagauit. Cic. Epist. VII, 8. 17. *l. 2. §. 45. ff. de orig. iur.* At tanto celebrior est P. LICINIVS CRASSVS, a patre naturali P. Mucio Scaeuola anno V. C. DCXII in adoptionem datus P. Licinio Crasso, atque inde MVCIANVS cognominatus. Per omnes honorum gradus anno V. C. DCLVII. ad consulatum, & quadriennio post ad censuram adspirauit, in magistratibus fere omnibus, praeterquam in censura, collegam nactus Q. Mucium Scaeuolam. Denique & Pontif. max. creatus est, decessitque ex vehemente lateris dolore, quem sibi in Senatu altercatione cum L. Philippo contraxerat. Cic. de Orat. III, 2. Auctor est Pomponius. Ciceronem hunc Crassum *iureconsultorum disertissimum* vocasse. * Fuit enim incredibili eloquentia, quamuis parum faueret studiis rhetorum Latinorum, quos in censura sua, proposito edicto, vrbe exesse iusserat. Gell. Noct. XV, 11. Sueton. de clar. rhet. Cap. I,

mus & P. Licinius Crassus Mucianus.

* At plerique tamen hoc ideo vocant in dubium, quod Cicero eo elogio non semel ornat Q. Mucium Scaeuolam, veluti de

Orat. I, 39. & Brut. Cap. XXXIX. & XL. quum de Crasso nihil huius generis apud Ciceronem reperiamus. Rupertus. p. 383. vt Pomponium erroris absoluat, elogium hoc a librariis alieno loco positum in §. sequentem putat transferendum. Alii aliter sentiunt. Sed quid prohibet, quominus Cicero alicubi eamdem laudem attribuerit Crasso, Pomponiusque id vere legerit in opere aliquo Ciceronis deperdito, quod hodie non legimus? Vid. V. A. Cornel. van Bynkersh. Praetermiss. *ad d. l. 2. §. 40*

§. CXV.

Q. Mucius Scaeuola pontifex max.

Paullo iunior fuit Q. MVCIVS SCAEVOLA, Pontifex max. cum Q. Mucio Augure non confundendus. De eius eloquentia Ciceronis testimonium paullo ante vidimus: eumdem vero Valerius Max. VIII, 12. *legum clarissimum ac certissimum vatem* adpellat. Est is ille ἐπιφανέστατος τῶν Ῥωμαίων, *Romanorum illustrissimus*, vti a Diod. Sic. in Exc. Peiresc. p. 405. laudatur, quem paene in omnibus honoribus Crasso Muciano collegam fuisse diximus. Praecipuam quoque laudem sibi, gesto sanctissime Asiae proconsulatu, peperit, adeo vt prouinciales

les eum diuinis paene honoribus prosequerentur. Ascon. in Verr. II, 21. Demum in Mariano tumultu anno V. C. DCLXVI. C. Fimbriae scelere nefarie interemtus, magnum bonis omnibus sui desiderium reliquit. Cic. de Orat. III, 3. Excerpt. Peiresc. 410. Vellei. Paterc. II, 26. Appian. de Bell. ciuil. I. p. 404. Lucan. Pharsal. II. v. 126. sequ.

§. CXVI.

Eius scripta.

Multa huic debet iurisprudentia, veluti CAVTIONEM MVCIANAM, aliaque huius generis plura, quae singulari commentario *de iurisprudentia Muciana* illustrauit FRANC. BALDVINVS. MVCII liber ὅρων vel DEFINITIONVM antiquissimus est eorum, ex quo quaedam in Pandectas retulit Tribonianus. *l. 64. de adqu. rer. dom. l. 8. ff. de aqu. quot. & aestiu. l. 241. ff. de verb. signif. l. 73. ff. de reg. iur.* Libros etiam IVRIS CIVILIS duodeuiginti laudant Gell. Noct. VII, 15. & Pomponius, qui & notas ad illos scripsit. Idem fecerunt LAELIVS FELIX, Gell. Noct. XV, 27. MODESTINVS. *l. 53. l. 54. ff. de adqu. rer. dom.* & acerrimus aemulus, SER. SVL-

PICIVS, Q. Mucio tam parum aequus, vt eius ſtricturae non Notae, ſed *repre-henſa Mucii capita* adpellentur. *l. 3. ſ. 6. ff. de penu leg.* Gell. Noct. IV, 1.

§. CXVII.

C. Aquillius Gallus. Progredimur ad C. AQVILLIVM GALLVM, cuius vitam ſingulari, quae Francofurti iuxta Viadrum prodiit, oratione illuſtrauimus anno MDCCXXXI. Patre is vſus eſt M' Aquillio Gallo, viro conſulari ac triumphali. Faſt. Capit. ad ann. DCLII. Iuuenis Q. Mucium Scae-uolam, Pont. Max. audiuit, & inter con-diſcipulos, quorum in numero L. Lu-cillius Balbus, Sex. Papirius, Iuuentius, quin & M. Tullius Cicero & T. Pomponi-us Atticus fuerunt, (Cic. de Leg. l. 4.) *prae-cipuae auctoritatis fuit. l. 2. ſ. 42. ff. de orig. iur.* Poſtea de iure reſpondit dexterrime, Cic. pro A. Caecin. Cap. XXVII. & mul-tas cautiones, formulasque ad iurispru-dentiam heurematicam pertinentes, quin & noua quaedam iuris interpretamenta inuenit, veluti ſtipulationem Aquillianam, *ſ. 2. Inſt. quib. mod. obl. toll.* formulam doli mali, Cic. de Nat. Deor. III, 30. de offic. III, 13. *l. 1. ſ. 1. ff. de dol. mal.* poſtu-

mos

mos Aquillianos, *l. 29. pr. ff. de suis & postum.* ius accrescendi, *l. 74. ff. de hered. inst.* ius postumorum, ad patrui hereditatem admittendorum. *l. 127. ff. de legat. 1.* Praeturam gessit anno V. C. DCLXXXVII. collega inter alios M. Tullio Cicerone, in qua ei quaestio de ambitu obuenit. Cic. pro A. Cluent. Cap. LIII. Consulatum ob temporum perturbationem, & regnum suum forense, vt loquitur Cicero, ne petere quidem voluit. Cic. ad Attic. Epist. I, 1. Vixisse videtur saltim ad annum DCCVIII. quippe quo eum Gallum suum vocat Cic. ad Famil. Epist. IV, 6.

§. CXVIII.

Pomponius memoriae prodidit, eum magnam anni partem siue in *Cercinna*, insula Africae proxima, siue, quod magis credibile est, *Caecinae*, Hetruriae oppido, exegisse, ibique & auditoribus vacasse, & scribendis libris. *d. l. 2. §. 42.* Sed librorum ne tituli quidem hodie noti sunt,* iisque multum nocuisse videtur nimia Ser. Sulpicii, discipuli, diligentia, qui quum plerasque & Aquillii, & aliorum Mucii auditorum sententias in libros su- *Eius scripta.*

os

os transtulisset, eo ipso effecerat, vt ipsi fontes minus aestimarentur. *d. l. 2. §. 42.*

* Citant tamen illius libros, dissimulatis eorum titulis, Dionys. Halicarn. III. p. 200. Labeo, *l. 29. §. 1. ff. de legat. 3.* Priscus Iauolenus, *l. 39 pr. ff. de statu lib.* Africanus, *l. 33. §. 1. ff. de vulg & pupill. subst.* Vlpianus, *l. 6. §. 2 ff. si seru. vind. l. 17. §. 6. ff. de act. emt. l. 30. ff. de legat. 1. l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam.* Iulius Paullus, *l. 127. ff. de legat. 1. l. 32. §. 1. ff de aur. arg. l. 77. ff. de verbor. signif.* Ceruidius Scaeuola, *l. 29 pr. ff. de lib. & postum.* Licinius Rufus, *l. 74. ff. de hered. inst.* ac denique Florentinus, *l. 18. ff. de acceptil.*

§. CXIX.

L. Lucillius Balbus, Sex. Papirius, C. Iuuentius. M. Tullius Cicero.

Sequuntur reliqui Q. Mucii auditores, veluti L. LVCILLIVS BALBVS, SEX. PAPIRIVS, & C. IVVENTIVS, quibus ego & M. TVLLIVM CICERONEM adderem, si, quod alicubi minatus est, iurisconsultum vnquam profiteri voluisset. * Attamen hos omnes Aquillio non esse comparandos, nec eorum libros iuridicos inter manus hominum versatos esse, haut obscure fatetur Pomponius, *l 2. §. 42. de orig. iur.* LVCILLIVS BALBVS, Stoicae philosophiae, teste Cice-

Cicerone de Orat. I,6. addictissimus, in respondendo paullo tardior fuit, Cic. Brut. Cap. XLII De SEX. PAPIRIO vero & C. IVVENTIO nihil compertum habemus, nisi ad posteriorem referre velis, quae de T. Iuuentio refert Cic. Brut. Cap. XLVIII.

* Notum est, Ciceronem non expertem fuisse iurisprudentiae. Non modo enim Q. Mucium audiuerat, verum etiam tantum fiduciae in scientia sua ponebat, vt in Orat. pro Muraena Cap. XIII. scribere non vereretur: *Si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moueritis, triduo, me iurisconsultum esse, profitebor.* Quin librum eius DE IVRE CIVILI IN ARTEM REDIGENDO, qui hodie non exstat, laudat Gell. I, 22. ex eoque satis patet, eum de quodam iuris systemate conficiendo cogitasse. At quum ICtum se nunquam professus sit, neque vel de iure respondisse, vel docendo scribendoque illustrasse iurisprudentiam, legatur: facile patet, cur tam parum inter se eruditi consentiant de Ciceronis iurisprudentia. Vid. V. C. Ant. Schulting. *Orat. de iurisprud. Ciceronis* & V. A. Corn. van. Bynkershoek Praetermiss. p. 83. sequ.

§. CXX.

Sed omnibus ante se ICtis veluti cali- *Sre. Sulpi-*

ginem

cius Rufus. ginem induxit SER. SVLPICIVS RVFVS, cuius vitam singulari oratione, Vltraiecti habita, illustrauit V. C. Euerardus Otto. An obiurgatione Q. Mucii excitatus, animum ad iurisprudentiam adpulerit, ceu rem retulit Pomponius, non adeo expeditum est, nec temporis rationes id videntur admittere. * Id certius, eum C. Aquillium Gallum & L. Lucillium Balbum audiuisse diligenter, Cic. Brut. Cap. XLII. *d. l. 2. §. 43. de orig. iur.* ab iisque tantum profecisse, vt Cicero Brut. Cap. XLI. *iuris ciuilis magnum vsum & apud Scaeuolam, & apud alios, artem in vno Sulpicio fuisse*, iudicet. Honores omnes gessit ad consulatum vsque, quem, repulsam antea passus, collega M. Marcello gessit. Inter ciuilia arma adeo semper pacis & otii auctor fuerat, vt Caesaris victoris gratiam retineret, eiusque beneficio Achaiam, prouinciam regeret. Cic. Epist. ad famil. IV, 3. & 4. XIII, 26. Obortis post Caesaris caedem nouis tempestatibus, Sulpicius, legatus de pace concilianda missus, in legatione ista decessit, anno V. C. DCCX. statua pedestri honoratus a Senatu. Cic. Philipp. IX, 7. Thom. Reines. Inscr. VII, 30. * Du-

* Dubiam hanc historiam primus reddidit Ant. Augustinus, partim quod Tullii & Seruii adolescentia vetet, quo minus eos viuo Scaeuola primum in caussis orandis locum obtinuisse credamus: partim quod Seruius demnm ex Rhodo reuersus, id est anno V. C. DCLXXVI, quo Scaeuola iam ante quinquennium occisus fuerat, ad iurisprudentiam adiecerit animum, adeoque Mucii obiurgatione ad id studium incitari non potuerit. Quae dubia soluere, non adeo facile esse, ipse fassus est V. C. Eu. Otto in Praef. Tomi. I. Thesauri Iur.

§. CXXI.

Eius scripta.

Libros eum prope centum & octoginta reliquisse, testatur Pomponius. Inter hos sunt REPREHENSA SCÆVOLAE CAPITA, de quibus supra: (§. CXVI.) liber singularis DE DOTIBVS, laudatus a Gellio Noct. IV, 3. & 4. & a Neratio, *l. 8. ff. de condict. causs. dat.* Eiusdem libros duos siue DE TESTAMENTIS, siue, quod alii malunt, DE DETESTANDIS SACRIS citat idem Gell. Noct. VI, 12. Meminimus etiam supra librorum II. EDICTI ad Brutum, (§. LXIX.) Reliqua, quae scripsit, ad alias litteras videntur pertinuisse, quippe quarum maxi-

maximam quaſi lucem ad artem hanc, omnium artium maximam, attuliſſe dicitur Ciceroni Brut. Cap. XLI.

§. CXXII.

Ser. Sulpicii diſcipuli.

Sequitur apud Pomponium magna iurisconſultorum turba, quae ex Ser. Sulpicii ſchola, tamquam ex equo Troiano, exiit. Tales ſunt ALFENVS VARVS, A. OFILIVS, T. CAESIVS, AVFIDIVS TVCCA, AVFIDIVS NAMVSA, FLAVIVS PRISCVS, C. ATEIVS PACVVIVS, ANTISTIVS LABEO, pater. *l. 2. ſ. 44. de orig. iur.* Sed quum plerique Auguſti attigerint aetatem: illi magis ad ſequentem, quam ad hanc iurisprudentiae periodum videntur referendi.

§. CXXIII.

Studia Romanorum iuuenilia.

Antequam tamen huic capiti finem imponamus, paucis, qualis tum ratio ac ordo ſtudiorum iuridicorum fuerit, videtur exponendum. A bellorum Punicorum temporibus, quibus primum Romae elegantioribus litteris optimarumque artium ſtudiis honor haberi coepit, adoleſcentes primos annos Graecis litteris dare,

re, & grammaticos, rhetores, philoſophos audire ſolebant, Cic. in Brut. Cap. XC. de offic. l, 1. Sueton. de Clar. rhet. Cap. I, & II. Hinc, ſumta virili toga, ſeſe ad forenſem eloquentiam praeparabant, & a viro quodam illuſtri in forum deducebantur: aliquando & Athenas, Rhodum, Mitylenen, Maſſiliam, ſtudiorum cauſſa ſecedebant, vt negotiis vrbanis eo minus diſtraherentur. Cic. Brut. Cap. XCI. ſequ. Epiſt. ad Famil. IV, 7. VII, 3. Vell. Paterc. II, 59. Tacit. Agric. Cap. IV. Quin, ſi vel maxime ſtipendia eſſent facienda, tamen ne in caſtris quidem ſe a ſtudiis illis honeſtioribus diuelli patiebantur. Vellei. I, 13. Sueton. Caeſ. Cap. LVI. Auguſt. Cap. LXXXIV. Plin. Epiſt. I, 10. III, 11.

§. CXXIV.

ICti plerique Stoici.

Qui ſe iurisprudentiae conſecrauerant, id in primis dabant operam, ne illotis manibus, id eſt, a philoſophiae praeſidiis deſtituti, haec ſacra attingerent. Et quidem, quum alioquin plures eſſent, quae animos philoſophorum diſtrahebant, ſectae: res ipſa tamen docet, ICtos philoſophiam Stoicam reliquis tantum non o-

 mni-

mnibus antehabuisse, quippe quam *turbidos, & negotiorum adpetentiores facere*, existimabant. Tacit. Annal. XIV, 57. Hinc non mirum, philosophiam Stoicam illis *summam sapientiam* dici: *l. 2. ff. de legib.* quippe quam veteribus ICtis praecipue in deliciis fuisse, ex instituto demonstrarunt Em. Merill. Obs. I, 8. sequ. Schilter. Manud. philos. ad iurispr. I. 5. sequ. & EV. OTTO singulari oratione *de Stoica ICt. philosophia.*

§. CXXV.

Modus docendi iura. Ab his vero instructi praesidiis, ICto alicui celebriori sese adiungebant. Vbi tamen non existimandum, scholas eos aperuisse iuridicas, in quibus auditores, positis subselliis, e cathedra docuerint principia iurisprudentiae, quales saeculo demum tertio & sequentibus Romae, Constantinopoli & Beryti floruisse nouimus. Sed viri illustres & in respondendo, cauendo, agendo exercitati, domi aeque ac in foro admittebant adolescentes discendi cupidos, vt, quid responderent, quas cautiones, actiones, exceptiones, interdicta in quauis caussa commendarent, quibusque rationibus in his omnibus vteren-

rentur, coram audirent, eaque omnia sibi in futuros vsus enotarent. * Cic. in Brut. Cap. LXXXIX. & in Oratore Cap. XI.

* Hinc est, quod, teste M. Seneca Controu. IX. *ICtorum discipuli a deridentibus vocarentur* AVDITORES, *postea vero in vsu id verbum esse coeperit, & promiscue poni pro discipulo* AVDITOR. Proprium ergo initio hoc vocabulum erat ICtorum discipulis, eoque sensu passim in iure nostro celebrantur AVDITORES Q. Mucii, Lucillii Balbi, Aquillii Galli, Cornelii Maximi; *l. 2. §. 42. 44. 45. ff. de orig. iur.* nec non Seruii Sulpicii, *l. 6. ff. de dotal. praed.* Vid. Cuiac. Obseru. XXVII, 4.

§. CXXVI.

Vnicuique erat facultas de iure respondendi.

Ita denique perpolitos exercitatosque iuuenes nihil prohibebat, quo minus de iure responderent consulentibus, simul ac studiorum fiduciam haberent: neque adhuc ea respondendi facultas a Senatu populoue erat impetranda. *l. 2. §. 47. ff. de orig. iur.* Professi vero semel iurisconsultos, & in foro obambulabant, vt consulturis sui copia esset, &, si insigniora prudentiae consultatoriae specimina dedissent, limina sua sub ipsum galli cantum

obſideri a clientibus, videbant, quibus ipſi reſponſa ex ſolio, tamquam oracula ex tripode, fundebant. Cic. de Legib. I, 3. de Orat. I, 45. Horat. Serm. I, 1. v. 9. ſequ. Epiſt. II, 1. v. 103.

§. CXXVII.

Nec tamen iudices obligabant reſponſa.

At huiusmodi reſponſorum nondum erat iis temporibus tanta auctoritas, vt vel iudices obſtringerent, vel dicendo euerti non poſſent ab oratoribus. Cic. pro Muraen. Cap. XIII. & pro A. Caecin. Cap. XXIV. Hinc nec rationes reſponſorum ſuorum reddebant, Sen. Epiſt. XCIV. nec ea ſignabant. *d. l. 2. §. 47. ff. de orig. iur.* Quae omnia ſe aliter habere coeperunt, ex quo certis tantum iurisprudentibus facultas ab Auguſto data eſt, de iure reſpondendi, impoſitaque iudicibus neceſſitas, vt non diſcederent ab eorum ſententiis. Qua de re infra erit plura dicendi locus.

CAP. IV.

DE STATV IVR. ROM. AB AVGVSTO CAESARE AD CONSTANTINVM M. IMP.

§. CXXVIII.

Epochae

Respublica Romana nec ſub C. IVLII CAE-

CAESARIS dictatura, quam non admodum diuturnam fuisse nouimus, nec statim eo interfecto, nouam monarchiae faciem induit: sed anno demum V. C. DCCXXII. Caesare Octauiano IV. & M. Licinio Crasso Coss. Tunc enim, *postquam Bruto & Cassio caesis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus dux, nisi Caesar, reliquus: hic posito Triumuiri nomine, Consulem se ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio iure contentum, vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paullatim, munia Senatus, magistratuum, legum, in se trahere coepit, nullo aduersante.* Tacit. Annal. I, 1.

huius initium.

§. CXXIX.

Quum vero hic dies aliam vitam, alios postulare mores videretur, neque leges priorum temporum statui isti monarchico conuenirent: fieri profecto non poterat, quin AVGVSTVS, princeps πολιτικώτατος, de iure Romano ad praesentem reip. statum paullatim inflectendo, cum cura cogitaret, vel, vti eleganter

Augustus de mutando iure cogitauit.

Tacitus Annal. III, 28. rem exprimit, *iura dare* conaretur, *quibus, pace & principe, vterentur.**

* Ceperat iam id consilium IVLIVS CAESAR, quem *ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia optima quaeque ac necessaria in paucissimos conferre libros voluisse*, testatur Sueton. Caes. Cap. XLIV. Sed eum conatum irritum reddiderunt Caesaris fata. Iterum ergo hoc egit AVGVSTVS, sed minus aperte, ne plebs rem subolfaceret. Quare recte hinc nouam iurisprudentiae periodum inchoat Pomponius, *postquam per partes euenerat, vt necesse esset, reip. per vnum consuli. l. 2. § 11. ff. de reg. iur.* Quae verba subtiliter interpretatur Rupertus ad Pompon. Enchir. p. 135. sequ.

§. CXXX.

Id tamen occulte fecit.

Quandoquidem vero adfectatio regiae maiestatis male cesserat IVLIO CAESARI, isque cruenta morte sua edocuerat posteros, quam infidum in libera ciuitate sit armis occupatum imperium: cautius rationes componebat Augustus, & sic regio vtebatur imperio, vt id vulgus non animaduerteret, tot libertatis pristi-

nae

nae simulacris quotidie delusum. Hinc Dio Cass. LIII. p. 519. de Augusto: τά τε ἄλλα, καὶ τοῦτο, ὡς ἐλευθέροις Ῥωμαίοις προσεφέρετο. *Cum in aliis plerisque, tum in hoc quoque, cum Romanis, tamquam cum hominibus liberis agebat.* Conf. praefat. nostr. ad Leg. Iul. & Pap. Popp.

§. CXXXI.

Eadem ergo Senatui tunc, quae olim, in speciem auctoritas; eadem, quae libera republica, magistratuum nomina, eadem potestatum insignia. Procedebant, vti antea, CONSVLES, eumque honorem ipse Augustus non semel suscipiebat. Erant in vrbe PRAETORES, AEDILES, TRIBVNI PLEBIS, QVAESTORES XXVIRI, vt plebi plane vetus respublica ob oculos versari videretur. At pleraque tamen magistratuum illorum munia in se traxerat Augustus, vt vere scripserit Tacitus Annal. I, 4. *eadem fuisse magistratuum vocabula, nihil vsquam prisci atqui integri moris.* *

Eadem magistratuum vocabula, nihil prisci moris.

* Tituli etiam ipsi, quos sumserat Augustus, nihil, quod monarchiam redoleret, in se habere videbantur. Vocabulum PRINCIPIS, *quo nomine cuncta discor-*

 diis

diis ciuilibus fessa, sub imperium acceperat, (Tac. Annal. I, 1.) libera etiam rep. non inauditum fuerat, quum singulis lustris PRINCEPS quidam SENATVS legeretur. Hinc de Tiberio Dio Cassius: πρόκριτός τε τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὠνομάζετο. PRINCEPS *autem* SENATVS *ritu prisco dicebatur*. Eadem erat ratio titulorum IMPERATORIS, PONTIFICIS MAX. TRIBVNICIAE POTESTATIS, PROCONSVLIS, quibus omnibus iam pridem adsueuerant Romanorum aures. Vid. Ezech. Spanhem. de vsu & praest. numism. Tom. II. p. 392. sequ. p. 413. sequ. p. 424. seq. & p. 463. sequ. Et tamen, iis susceptis honoribus, rebus omnibus praeerat solus, &, quidquid collibitum esset, sanciebat liberrime.

§. CXXXII.

Leges adhuc vetere ritu latae. Quin, vt ciues eo minus animaduerterent, mutatam esse rempublicam, callide AVGVSTVS initio non edictis iura noua condebat, sed ad ferendas leges populum mittebat in suffragia, vt quod ipse per centurias vel tributim sciuisset, id pro lege esset. Suaserat id Augusto Mecaenas apud Dion. Cass. LII. p. 477. cuius consilio obsequutus Augustus οὐ

μέν

μέν τοι πάντα ἐθελογνωμόνων ἐνομοθέτει, ἀλλ' ἦν, ἃ καὶ ἐς τὸ δημόσιον προετίθει, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσει, ἐπανορθώσῃ, καὶ προετρέπετο πάντας συμβουλεύειν αὐτῷ, εἴ τι ἄμεινον γνοίη αὐτῷ. *non omnia suo arbitrio sanxit, sed plura etiam populo promulgauit, vt is, si quid minus placeret, emendaret, hortatus omnes, vt, si quid haberent, id consulerent in medium.* Add. Zonar. Annal. Tom. I. Lib. X. p. 533.

§. CXXXIII.

Hoc vetere ritu anno V. C. DCCXXI Caesare Aug. III. & ex Kal. Mai. M. Titio Rufo Coss. lata est Lex IVLIA & TITIA, cautumque, *vt pupillis in prouinciis tutores a Praesidibus prouinciarum darentur.* Henr. Vales. ad Excerpt. Peiresc. p. 61. An. V. C. DCCXXXVII. C. Furnio C. Iunio Silano Coss. lata lex IVLIA *de adulteriis*, ex rationibus D. Guil. Hoffmanni libr. sing. de Lege Iul. de adult. Cap. II. p. 50. sequ. & quidem *ex rostris & in foro*, vti obseruat Senec. de Benefic. VI, 32. Porro anno V. C. DCCXLV. T. Quinctio Crispino & Germanico Caes. Coss. insigne perlatum PLEBISCITVM, * *de poenis eorum, qui riuos, fistulas, castella, lacus aqua-*

Veluti Iulia Titia, Iulia de adulteriis, & plebiscitum de aquaeductibus.

aquarum publicarum violarint, quod integrum exſtat apud Frontin. de aquaeduct. & Reineſ. Inſcript. VII, 10.

* Hoc *plebiſcitum*, imperante Auguſto factum eo notatu dignius eſt, quo minus aliud hoc temporis interuallo facile repetias. Nam quamuis & LEX FALCIDIA plebiſcitum ſit, ſub Auguſto conditum: illud tamen adhuc ad ſuperiorem periodum pertinet, conditum quippe anno V. C. DCCXIV. Cn Domitio M. F. Caluino & C. Aſinio Pollione Coſſ. Dio Caſſ. XLVIII. p. 430. Hanc quoque legem illuſtrauit FRANC. BALDVINVS, cuius Commentatio de hac aliisque legibus Halae non ita pridem recuſa eſt.

§. CXXXIV.

Fuſia Caninia, Aelia Sentia, Iulia de marit. ordin. Papia Poppaea.

Sic & anno DCCLVI. Sex. Furio Camillo & C. Caninio Gallo Coſſ. latam eſſe legem FVSIAM CANINIAM *de numero ſeruorum teſtamento manumittendorum*, coniecit EPHR GERARDVS diſſ. de lege Fuſ. Can. §. VII. Anno DCCLVII. Sex. Aelio Cato & C. Sentio Saturnino Coſſ. lata lex AELIA SENTIA, itidem *de manumiſſionibus & manumiſſorum conditione*, cuius varia capita, ex antiquitatis parietinis eruta, dedimus in Antiqu. Rom. Tomo I. p. 115.

edit.

edit. nou. Eiusdem aetatis est LEX IVLIA *de maritandis ordinibus*, eleganter Horatio *lex marita* dicta, de qua nos in Comm. ad Leg. Iul. & Pap. Popp. I, 3. p. 48. Haec seuerius emendata est perlata anno V. C DCCLXII. M. Papio Mutilo & Q. Poppaeo Secundo Coss. suffectis LEGE PAPIA POPPAEA *nuptiali & caducaria*, de qua nos eodem Commentario egimus accuratius.

§. CXXXV.

Scribonia, Visellia, Iunia Velleia.

Vir clarissimus, Herm. Noordkerkius Disquis. de Lege Petron. p. 89. sequ. eadem aetate latas putat leges incertae alioquin aetatis, SCRIBONIAM *de vsucapione seruitutum*, VISELLIAM *de libertinis*, IVNIAM VELLEIAM *de institutionibus heredum*, Enimuero vti in his aliqua verosimilia sunt, veluti, quae de legibus SCRIBONIA & IVNIA VELLEIA, quam & nos eodem anno conditam esse docuimus, disserit: ita suffragari non possumus viro doctissimo, existimanti, post Augusti tempora nullam amplius latam esse legem proprie sic dictam, ac proinde ipsam legem IVNIAM NORBANAM, certissime latam

tam ſub Tiberio, p. 91. ad tempora liberae reip. referenti.

§. CXXXVI.

Sed Augusto paullatim poteſtas liberior conceſſa.

Sed quemadmodum hanc ciuilitatem Auguſto initio ipſa neceſſitas extorſerat: ita Senatus, vt fit, ſeſe paullatim ad ſeruile demittere obſequium, populusque congiariis, ludis, muneribus gladiatoriis, venationibus delinitus, iugum ferre coepit. Hinc non modo Tacit. Ann. III, 28. obſeruat, Auguſtum iam *a ſexto conſulatu, potentiae ſecurum, iura dediſſe, quibus, pace & principe, vterentur:* ſed & Pomponius ac Vlpianus *populum ei & in eum omne ſuum imperium poteſtatemque contuliſſe*, teſtantur, adeo, *vt ratum eſſet, quod conſtituiſſet. l. 2. ſ. 11. ff. de orig. iur. l. 1. pr. ff. de conſtit. princ.* Suffragatur his Dio Caſſ. ad ann. DCC XXIX. referens, Senatum tunc in Auguſti acta iuraſſe, eumque legibus ſoluiſſe, decreuiſſe denique, ἵνα καὶ αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῶν νόμων, πάντα τε, ὅσα βούλοιτο, ποιοίη, καὶ πάνθ᾽, ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο, μὴ πράττῃ. *vt ſummo cum iure, omninoque & ſui & legum potens, quae vellet facere*t

ret omnia, & eorum, quae nollet, faceret nihil.

§. CXXXVII.

Habes ergo LEGEM illam REGIAM, de qua *l. 1. pr. ff. de const. princ. §. 6. Inst. de iur. nat. gent. & ciu.* AVGVSTVM PRIVILEGIVM, cuius meminit *l. vn. §. 14. C. de caduc. toll.* LEGEM denique IMPERII, ad quam prouocatur *l. 3. C. de testam.* De ea quanta a renatis litteris fuerint sententiarum diuortia, alibi docuimus, simulque ostendimus, eam nihil esse aliud, quam congeriem variorum SCorum, in honorem Augusti deque eius imperio factorum, & subinde renouatorum sub auspicia imperii insequentium Principum. * Antiqu. Rom. I, 2, 62. p. 85. sequ. *Vnde nata LEX REGIA.*

* Exemplo esse potest insigne monimentum apud Gruter. p. CCXLII. quod & nos in Antiqu. Rom. sub finem tit. II. lib. I. descripsimus, in quo Vespasiano Imp. eadem potestas decernitur, quae antea decreta fuerat Augusto, Tiberio, Claudio, Imperatoribus, in primis vero, VTI, QVAECVMQVE EX VSV REIP. MAIESTATE DIVINARVM, HVMANARVM, PVBLICARVM PRIVATARVMQVE

RE-

RERVM ESSE CENSVERIT, EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE ESSET, ITA, VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO FVERIT.

§. CXXXVIII.

Hac fretus lege plura SCis & edictis constituit.

Fretus hac poteſtate Auguſtus, varia ſine centuriarum tribuumue ſuffragiis conſtituere coepit, eaque in re duplici arte vſus eſt. Primo enim, quum populus iam adſuetus eſſet ſenatus imperio, eumque SCa facere poſſe, non ignoraret: Auguſtus varia per Senatum ſanciuit, quae libera republica ad ampliſſimi iſtius ordinis curam non pertinebant. Deinde paullatim coepit, propoſitis edictis, quid fieri vellet, praecipere, & ſic iura noua conſtituere quam plurima.

§. CXXXIX.

Senatusconſultum Silanianum & Statilianum.

Hinc iam ſub Auguſto prodiiſſe animaduertimus SCa non pauca, quae poſtea pro legibus valuerunt. Tale eſt SC. SILANIANVM, quo cautum, *vt ſi dominus a familia occiſus diceretur, de ea ab herede, antequam adeat, publica quaeſtio haberetur, & de ſontibus ſupplicium*

cium sumeretur, neque prius tabulae testamenti aperirentur, vel, si quid contra factum fuerit, hereditatem fiscus occuparet. Quod SC. anno V. C. DCCLXIII. P. Cornelio Dolabella & C. Iunio Silano Coss. factum esse, praeter Hotomanum plerique recte existimant. *l. 1. pr. §. 25. 26. l. 5. §. 2. ff. de SC. Silan.* Idque vel inde patet, quod sequente statim anno, T. Statilio Tauro & M. Aemilio Lepido Coss. nouo SC. sancitum est; *vt quaestioni isti quinquennio praescriberetur, nisi plane de parricidio quaestio haberetur. l. 13. ff. de SC. Silan.*

§. CXL.

Itemque Velleianum.

Nec aliorum temporum esse arbitror celebre SC. VELLEIANVM, quod *mulierum intercessit intercessionibus, easque irritas esse iussit. l. 2. §. 1. ff. de reg. iur.* Mouet me, partim, quod Augustus iam hoc dicitur edixisse, (qualia edicta tum SCa vel praecedere vel sequi consueuisse, mox videbimus,) partim quod SCum hoc M. Silano & Velleio Tutore Coss. factum esse, adparet ex ipsis illius verbis legitimis. *l. 2. pr. §. 1. ff. de SC. Vellei.* Atqui L. SILANVS. FLAM. MART.

&

& C. VELLAEVS TVTOR COSS. anno V. C. DCCLXIII. reperiuntur apud Gruter. Inscr. p. CCCCLXX, 1. 2. *

* Obseruauimus hoc in Elem. Iur. sec. ord. Pand. P. III. §. CXCVI. * addidimusque, iisdem consulibus latam videri LEGEM IVNIAM VELLEIAM. Posterius probari video V. C. Herm. Noordkerkio in Disqu. de lege Petron. p. 94. non autem prius. Statim enim pergit: *Sed nollem, vir egregius iisdem etiam auctoribus Velleianum SC. acceptum retulisset: quam opinionem vel Vlpianus damnat, qui l. 2. ff. d. t. diserte testatur, post Claudii edictum fuisse conditum.* Ego vero non ignorabam, quum id scriberem, Vlpianum primum edicti Augusti & Claudii meminisse, & deinde scribere: POSTEA *factum est SC. quo plenissime feminis omnibus subuentum est.* Ipse enim hoc modo ratiocinatus fueram in Antiqu. Rom. III, 21, 12. Sed non ignorabam quoque, *postea* illud etiam referri posse ad edictum Augusti, nec semper tam accurate hoc similibusque vocabulis vti ICtos, vt iis superstruere liceat rationes chronologicas. Ita Pomponius *l. 2. §. 8. de orig. iur.* vbi de XII tabulis, disputatione fori, legisque actionibus egerat, subiicit: DEINDE *quum esset in ciuitate lex XII Tab. & ius ciuile, essent*

essent & legis actiones: euenit, vt plebs in discordiam cum patribus perueniret, & secederet. Et tamen haec omnia ante conditas XII Tabulas euenisse nouimus. Similia obseruare licet *d. l. 2. §. 18. 20. 22.* Haec si reperimus apud ICtum, qui ex instituto historiam texit: quid sperandum de chronologica ICtorum ἀκριβείᾳ, vbi id ex instituto haut agunt? Sed sufficit nobis alium annum ostendi non posse quo collegae in consulatu fuerint *Silanus quidam & Velleius Tutor:* nos vero hoc anno vtrumque reperire.

§. CXLI.

Quo colore Augustus edicta proposuerit?

Sed & EDICTIS Augustus sensim vti coepit ad iura noua statuenda: idque iure se facere, plebi facillime persuasit. Quum enim supra, magistratus tantum non omnes edicta de rebus curationi suae demandatis proposuisse, ostenderimus: (§. LVI.) Augustus, si quid in prouinciis ediceret, tanquam PROCONSVL; si in vrbe, vi TRIBVNICIAE POTESTATIS; si apud exercitum, tamquam IMPERATOR; ac denique, si circa sacra, tamquam PONTIFEX MAX. id iure facere videbatur. (§. CXXX. *)

§. CXLII.

Eorum

Hinc plura sub Augusto inualuerunt

 iura

exempla. iura noua, de quibus nec leges vllae, nec SCa, quod quidem hodie ſciamus, exſtiterunt. Ita tunc ſenſim deminutum eſt domeſticum in ſeruos imperium, data his facultate, apud Praefectum vrbi de dominorum ſaeuitia conquerendi. Lipſ. ad Sen. de Benef. III, 21. Inualuiſſe tunc etiam videtur, vt parentes liberos aut inſtituere, aut exheredare tenerentur.* Edicti etiam anno V. C. DCCLX, A. Vibio & L. Aproniano Coſſ. propoſiti, mentio fit *l. 8. pr. ff. de quaeſt.* alteriusque de interceſſionibus mulierum, *l. 2. pr. ff. ad SC. Velleian.* tertii denique de filio milite non exheredando, *l. 26. ff. de lib. & poſtum.*

* Quum permulta Auguſtum circa heredum inſtitutionem immutaſſe legamus, veluti quod filium militem exheredari vetuerit, *l. 26. ff. de lib. & poſtum.* Tertio infanti, iniuſte a patre exheredato ſuccurrerit, Valer. Max. VII, 7. Reineſ. ad Inſcr. p. 24. & denique lex IVNIA VELLEIA de inſtitutione & exheredatione liberorum, & poſtumorum inprimis egerit. (CXL.) non dubitandum videtur, quin totum hoc ius originem illi legi, ſub Auguſto latae, debuerit. Eius capita quaedam recenſentur *l. 10. §. 2. ff. de teſtam. tut. l. 13. ff. de iniuſt. rupt. irrit. fact. teſt. l. 39. ff. de lib. & poſtum.*

§. CXLIII.

§. CXLIII.

Idem princeps variis inſtitutis nouis poteſtatibus, ius vel maxime ad praeſentem reipublicae ſtatum inflexit. Primo enim, inuenta PRAEFECTVRA VRBANA, * regnum Praetorum forenſe haut parum concuſſit, multaque, quae in ciuitate obſeruari e republica videbatur, eo adiutore, facile introduxit. Deinde & PRAEFECTVRA PRAETORIANA, quamuis initio militaris poteſtas, Dio Caſſ. LII. p. 480. LV. p. 555. adeo paullatim increuit, vt poſtremis temporibus ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα, *magiſtratus ab imperio ſecundus* videretur. Herodian. V, 1. Vt iam de PRAEFECTVRA VIGILVM, ab eodem Auguſto coercendis incendiis inſtituta, *l. 2. §. 33. ff. de orig. iur. l. 3. pr. ff. de off. praef. vig.* ſimilibusquae nouis magiſtratibus, nihil dicamus.

Noui magiſtratus ab Auguſto inſtituti.

* Hoc quoque inuentum colore non deſtituebatur. Nam & ſub Regibus, & libera republica, PRAEFECTI VRBI creabantur, quoties vel Reges, vel coſſ. & magiſtratus vrbani abeſſe cogebantur. Tac. Ann. VI, 10. 11. Liu. III, 29. Quumque id praecipue contingeret, quando magiſtratus vrbani in monte Albano feriis Lati-

nis praeerant: Praefecti vrbis, tum creati, vt vrbi praeessent, PRAEFECTI VRBI FER. LATIN. vocabantur *l.2.§.33.ff.de orig. iur.* Grut. Inscr p.CCCXIII.9.p CCCLVI, 1. Sed Augustus eam potestatem, antea extraordinariam & paucorum dierum vel mensium, ordinariam ac perpetuam fecit, primum eo obtentu, *vt esset, qui coerceret seruitia, & quod ciuium audacia turbidum, nisi vim metuat*: Tacit. Annal. VI, 11. sed reuera, vt paullatim pleraque Praetoris aliorumque magistratuum munia in illum transferret, & sic eorum potestatem magis magisque euerteret. Quod adeo verum est, vt *M. Valerius Messalla*, quem primum Praefectum vrbi creauerat, *sexto die abdicaret*, INCIVILEM *esse potestatem, contestatus*: Euseb. Chron. n. MDCCCCXCI. id est, ciuitati liberae, qualem tum adhuc plebs somniabat, parum conuenientem. Ita intelligendus Eusebius, nec opus est emendatione Insti. Ios. Scaligeri.

§. CXLIV.

Mutatio circa prouincias. Magni quoque momenti erat mutatio circa PROVINCIAS, quas ita cum senatu partiebatur, vt huic pacatas atque inermes relinqueret, bello turbidas, in quibus legiones erant, sibi seponeret. Strabo XVII, extr. Suet. Aug. Cap. XLVII. Dio Cass. LIII. p. 502. Illis Senatus PRO-

PROCOSS. his ipſe LEGATOS AVG. PRO PRAET. vel PRO COS. cum iure gladii & imperio militari praeficiebat. Lipſ. Excurſ. M. ad Tac. Ann. I. Dio Caſſ. LIII. p. 504. De Aegypto quum in fatis eſſe diceretur, eam libertatem recuperaturam, ſimul ac faſces ibi viſi eſſent: Cic. ad Fam. Epiſt. I, 7. Trebell. Poll. in Aemilian. Cap. XXIII. Auguſtus id in rem ſuam vertit, prouinciamque illam, a qua res annonaria vel maxime pendebat, ſibi peculiarem habuit, & Senatoribus eius aditu excluſis, eo cum imperio miſit virum equeſtrem, ſed ſine faſcibus, qui PRAEFECTVS AVGVSTALIS vocabatur. Tacit. Annal. II, 59. XII, 60. Hiſt. I, 11. Dio Caſſ. LIII. p. 554. Arrian. Expedit. Alex. III, 6. Iam vero per tot Praeſides ſibi obnoxios Auguſtum, quidquid collibitum eſſet, in orbe Romano inſtituere potuiſſe, nemo non animaduertit.

§. CXLV.

Auguſtus ICtis quibusdam dedit fa-

Neque ignorabat princeps prudentiſſimus, quam multum in IVRISCONSVLTIS eorumqne interpretatione poſitum eſſet. Vt ergo & hos haberet ſibi

cultatem respondendi. bi obnoxios, eorumque opera in euertendo Praetoris regno, ac iure nouis interpretamentis ad praesentem statum inflectendo, vteretur: * primus facultatem de iure respondendi, olim omnibus communem, certis tantum hominibus beneficii loco indulsit, simulque obstrinxit iudices, ne ab eorum responsis ac sententiis vnquam discederent. *§. 8. Inst. de iur. nat. gent. & ciu. l. 2. §. 47. ff. de orig. iur.*

* Genuinam hanc fuisse huius instituti caussam, & Vlr. Huberus Auspic. domest. p. 178. ex parte vidit, & nos cum cura demonstrauimus in Antiqu. Rom. I, 2, 39. p. 67. Vnde vel rem acu non tetigit, vel veram huius instituti caussam dissimulauit Pomponius, dum hoc sanxisse scribit Augustum, *vt maior esset iuris auctoritas. l. 2. §. 47. ff. de orig. iur.*

§. CXLVI.

Quumque Labeonem sibi conciliare non posset. Quum vero duo tum illuxissent ingenia eximia, M. ANTISTII LABEONIS, & C. ATEII CAPITONIS, quos *duo pacis decora* vocat Tacit. Annal. III, 75. vtrumque quidem sibi conciliare studebat Augustus, sed frustra

erat

erat in LABEONE, Q. Labeonis, Iulio Caesari parum aequi, filio, *incorruptae libertatis viro*, vt idem Tacit. ib. eum vocat, quique *nihil ratum pensumque habebat, nisi quod iustum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset.* Gell. Noct. XIII, 12. Cuius libertatis studii insignia exempla sunt apud Sueton. Aug. Cap. LIV. & Dion. Cass. LIV. p. 531. Non mirum itaque, eum ne consulatus quidem auctoramento se Augusto addicere voluisse. *l. 2. §. 47. ff. de orig. iur.*

§. CXLVII.

At tanto facilius Augustus obnoxium sibi habuit C. ATEIVM CAPITONEM, *cuius obsequium* non poterat non *dominantibus magis probari*, Tacit. Annal. III, 75. quippe ad seruilem paene adulationem demissum, vt docent argumenta apud eumdem Tacit. Annal. III, 70. & Sueton. de illustr. Gramm. Cap. XXII. Hinc ATEIVS & ad cousularem dignitatem peruenit, anno V. C. DCC LVIII, collega C. Vibio Postumo. Grut. Inscr. p. MLXXXII, 2. Huic itaque similibusque Augustus respondendi de iu-

Obnoxium tamen sibi habuit Ateium Capitonem.

re facultatem dedit, qui & responsa sua ex eo tempore signabant, Senec. de Benef. VII, 16. quum id antea minus necessarium videretur. * *l. 2. §. 47. de orig. iur.*

* Signo opus erat, vt iudices, a quo ICto responsum esset, intelligerent, sibique ab eo discedendum non esse, scirent. Aliud libera republica, quum *ICtorum responsa* adhuc *saepe ab oratoribus dicendo euerterentur*, teste Cicer. pro Muraen. Cap. XIII. qui & alibi id exemplo Crassi confirmat pro A. Caecin. Cap. XXXIV.

§. CXLVIII.

Scripta Labeonis. LABEONEM ad iurisprudentiam instituisse quam plurimos, & *totum annum ita diuisisse, vt Romae sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret*, refert Pomponius *d. l. 2. §. 47.* qui & CCCC volumina eum reliquisse testatur. Ex libris VIII. ΠΕΙΘΑΝΩΝ non nisi octo in Pandectis fragmenta supersunt. Scripsit & libros XL POSTERIORVM, Gell. XIII, 10, quamuis in indice Florentino non nisi libri X memorentur, & ex iis non nisi vnum ἀποσπασμάτιον decerptum videamus in *l. 42.*

ff.

ff. de lib. cauff. * Memorantur etiam in Pandectis liber primus PRAETORIS VRBANI, *l. 19. ff. de verb. sign.* & Liber XXX PRAETORIS PEREGRINI. *l. 9. §. 4. ff. de dol. mal.* nec non liber EPISTOLARVM, *l. 30. §. 1. ff. de vsurp. & vsucap.* de quo Menag. Amoen. Cap. XX.

* Libros πειθανῶν in compendium redegit IVLIVS PAVLLVS, Perrenon. Animadu. Iur. II, 16. Bynkersh. Obſ. III, 6. Eamdem operam libris POSTERIORVM praeſtitit IAVOLENVS, qui & libros EX POSTERIORIBVS LABEONIS, ab his diuerſos, ſcripſit. Praeterea ad Labeonem notarunt QVINTVS, (fortaſſis Tubero,) l. 7. §. 7. ff. de dol. mal AVLVS, (fortaſſis Caſcellius) *l. 17. §. 5. de hered. inſt.* PROCVLVS, *l. 10. §. 1. ff. de neg. geſt.* & ARISTO. *l. 17. §. 5. de hered. inſt.* Vid. Maſcou. de Sect. Cap. I, p. 18. ſeq.

§. CXLIX.

Nec C. ATEIVS, quamuis magis immerſus negotiis ciuilibus, calamo pepercit. Scripſit enim *libros* de IVRE PONTIFICIO, quorum quintum laudat Gell. Noct. IV, 6: *libros* CONIE- *Et Ateii Capitonis.*

CTANEORVM quamplurimos, quippe quorum ducentesimum quinquagesimum nonum citat Gell. XIV, 7. *librum* de OFFICIO SENATORIO, Gell. IV, 10. & de IVRE SACRIFICIORVM, Macrob. Saturn. III, 10. nec non EPISTOLAS, e quibus quaedam descripsit Gell. Noct. XIII, 12. Addimus, ex eo ne vnum quidem fragmentum in Pandectas relatum esse, ipsumque auctorem tot ingenii monimentorum inter viuos esse desiisse anno V. C. DCCLXXV. Tacit. Annal. III, 75.

§. CL.

Alfenus Varus ICtus sub Augusto.

Progredimur ad ICTOS reliquos, qui sub Augusto floruerunt. Eo vero pertinet tota illa Seruii Sulpicii familia, quam recenset Pomponius *l. 2. §. 44. ff. de orig. iur.* In hac eminuit C. ALFENVS, vel, vti in numis est, ALFINIVS VARVS, qui, vt vulgo referunt, Cremonae, Publio patre natus, diu exercui sutrinam, tandemque clausa taberna Romam se contulit, &, audito Seruio Sulpicio, maximos in iure profectus fecit. Qua de re plura Acron ad illa Horat. I. Serm. Sat. 3. v. 130.

Opti-

Optimus est modulator, *vt* ALFENVS *faver*, *omni*
Abiecto instrumento artis, *clausaque taberna*,
Sutor erat.

Consulatum gessit anno V. C. DCCLIII. collega P. Vinicio, &, obseruante eodem Acrone, fato functus publico funere efferri meruit. * Scripsit noster libros XL DIGESTORVM, quos Iulius Paullus, ICtus, in epitomen contraxit, & COLLECTANEA, quorum librum secundum laudat Gell. Noct. VI, 5. vbi eum *iurisconsultum*, *Seruii Sulpicii discipulum*, *rerumque antiquarum non incuriosum* vocat. Optime de Alfeni Vari ICti vita & fragmentis meritus est HENR. BRENKMANVS in libello elegante quem *Pandectas Iuris Ciu. auctoribus suis & libris restitutos*, inscripsit. Amst. 1709. 8.

* At sunt tamen, qui Alfenum Varum, ICtum, a consulari isto sutore diuersum putant, illumque *Alfenum*, hunc *Alfinium* dictum putant. Vid. Cl. Waechtl. Act. Erud. Lips. a. MDCCXI. V. C. Eu. Otton. praefat. Tomi I. Thes. iur. qui se libro singulari id plenius probaturum pollice-

licetur. Attamen & Alfenum IC. consulem fuisse, obseruat Pompon. d. l. 2. §. 44.

§. CLI.

A. Ofilius. Eorumdem temporum ICtus A. OFILIVS, iam a Ciceronis aetate inclaruerat, qui eius, tanquam ICti tum probatissimi, meminit Epist. ad Fam. VII, 11. Συμφιλολογοῦντα habuisse videtur T. Pomponium Atticum, *l. 234. ff. de V. S.* Ad honores non adspirauit, sed in equestri ordine consenuit, quamuis C. Iulio Caesari familiarissimus. *l. 2. §. 44. ff. de orig. iur.* Scripsit de LEGIBVS VICESIMAE, DE IVRISDICTIONE, AD EDICTVM PRAETORIS,* quae omnia a Pomponio laudantur. Sed adiiciendi his libri ACTIONVM, *l. 3. §. 5. ff. de penu. leg.* & libri IVRIS PARTITI, *l. 55. §. 3. ff. de legat. 3.* Vxorem eius CLODIAM, quindecies enixam, CXV annis vixisse, obseruat Plin. Hist. Nat. VII, 48. quocum iungendus Valer. Max. VIII, 13.

* Neque tamen adsentior Henr. Dodwello, qui in Adp. Praelect. Cambden. p. 780. A. OFILIVM edictum perpetuum Iulii Caesaris auspiciis condidisse, illudque opus

pus postea decreto Caesaris firmatum, existimat. Si enim vel maxime fateamur, prius verum esse posse: (nam & Caesarem de iure in ordinem redigendo cogitasse nouimus, & eumdem Ofilii, ICti sibi familiaris, opera vti voluisse, verosimillimum est,) omnia tamen illa Caesaris consilia fata turbarunt. Suet. Caes. Cap. XLIV. Priuatum ergo mansit hoc Ofilii opus, nec vllo argumento constat, illud in foro talem obtinuisse auctoritatem, qualem postea obtinuit edictum, a Saluio Iuliano compositum.

§. CLII.

T. Caesius, Aufidii, Priscus, Pacuuius, Cinna, Gellius, Cartilius.

Non nisi nominibus noti sunt T. CAESIVS, AVFIDIVS TVCCA, AVFIDIVS NAMVSA, cuius tamen scripta aliquando in Pandectis memorantur. *l. 40. §. 3. ff. de condit. & demonstr. l. 5. §. 7. ff. commod. l. 2. §. 6. ff. de aqu. & aqu. pluu.* FLAVIVS PRISCVS, C. ATEIVS PACVVIVS, CINNA, qui & ipse citatur *l. 40. §. 1. ff. de cond. & dem. l. 6. ff. de ritu nupt.* & PVBLICIVS GELLIVS, qui omnes a Pomponio recensentur. Addimus his, vt videtur, *σύγχρονον*, CARTILIVM, bis laudatum *l. 9. §. 13. ff. de pign. act. & l. 69. ff. de hered.*

red. instituend. cuius memoriam primus restituit Ant. Augustin. Emendat. III, 6. laudatus ideo a Cuiac. Obs. I, 9.

§. CLIII.

C. Trebatius Testa.

Multo celebrior C. TREBATIVS TESTA, C. Iulio Caesari, Ciceroni, ac postea Caesari Augusto, amicissimus, a Q. Cornelio Maximo profecerat. Cic. Epist. VII, 8. In philosophia primum Stoicos, deinde Epicureos, sectatus, est, Cic. Epist. VII, 12. quod a reliquorum eius ordinis instituto vel maxime abhorret. Ceterum mirifice eum collaudat Cic. Epist. VII, 5. *eoque probiorem hominem, meliorem virum, prudentioremque esse neminem, quin familiam illum ducere in iure ciuili, & singularem eius memoriam, summam scientiam esse*, testatur. Vt mireris, ex iocis, quibus, vt cum amico, familiaribus vsus est Cicero, colligere Heinsium in Diss. de Satyra Horatiana, Trebatium illum tenuioris ingenii, ac paene dubiae sanitatis fuisse: merito hinc refutatum a NIC. HIER. GVNDLINGIO in Diss. de C. Trebatio Testa. Inscripsit ei Horatius Satyram I. Libri II. Sermonum, eiusque consilio vsus est Au-

gu-

gustus, ceu patet ex *pr. Inst. de codicill.* Ipse reliquit libros aliquot de IVRE CIVILI, nec non de RELIGIONIBVS *libros IX* quos Porphyrion, Horatii scholiastes, & Macrob. Saturn. III, 3. memorant.

§. CLIV.

A. CASCELLIVS, Q. Mucii & Volcatii fuit auditor, & beneficiorum quidem tam memor, vt prioris nepotem, P. Mucium, in aui honorem iudicio supremo heredem reliquerit. Laudem adsequutus est ICti egregii, ipsoque Trebatio eloquentioris: *l. 2. §. 40. de orig. iur.* & iuris in primis praediatorii tam periti, vt ipse Q. Mucius, si quando de eo consulebatur, clientes ad hunc discipulum suum remitteret. Cic. pro Balbo Cap. XX. Valer. Max. VIII, 12. Obiit Quaestorius, senex & orbus, quas duas res sibi, natura dicaciori & faceto, magnam licentiam praebere loquendi, fatebatur. Val. Max. VI, 2, 12. De facetiis eius, quarum supra exemplum vidimus, (§. LXXIII.) consulendi Macrob. Saturn. II, 6. Quinctilian. Inst. Orat.

A. Cascellius.

rat. VI, 4. Scipio Gentil. Parerg. I, 38. Scripſit librum BENEDICTORVM, de quo V. A. Corn. van. Bynkershoek. Praetermiſſ. ad l. 2. §. 40. de orig. iur.

§. CLV.

Q. Aelius Tubero. Nec praetereundus denique Q. AELIVS TVBERO, Q. Ligarii apud Iulium Caeſarem accuſator, qui ab A. Ofilio profeciſſe dicitur. De gente Aelia, ex qua ille oriundus fuit, accuratius egit Rupertus in Enchirid. Pompon. p. 346. In matrimonio habuit Ser. Sulpicii filiam, ipſe auus maternus Caſſii Longini futurus. *l. 2. ſ. 47. de O. I.* Habitus eſt doctiſſimus publici priuatique iuris, librosque reliquit de OFFICIO IVDICIS, idem AD OPPIVM, immo & Libros XIV HISTORIARVM, ex quibus ingenii monimentis aliquid & in Pandectis adducitur. *l. 5. l. 6. ff. de pecul.* & a Gellio Noct. VI, 4. VII, 9. X, 28. XIV, 2. Obſeruat tamen Pomponius, ſcripta eius non adeo magnum plauſum tuliſſe, ob ſermonem antiquum & obſoletum, quem, tamquam cum Euandri matre loquuturus, vbique adfectarit.

§. CLVI.

§. CLVI.

Quum ergo tantus iis temporibus ingeniorum praestantissimorum prouentus fuerit, ex his vero quibusdam, vti Labeoni, atrox insedisset veteris reip. liberae memoria, alii cum Ateio Capitone scenae seruirent, fructusque huius obsequii sui caperent vberrimos: non potuit non inter ICtos tam diuersarum partium aemulatio nasci, ex qua diuersa in interpretando respondendoque principia, ac inde diuersas SECTAS pullulare oportuisse, facile patet. *Diuersae ICtorum sectae sub Augusto natae.*

§. CLVII.

Hinc de M. ANTISTIO LABEONE & C. ATEIO CAPITONE Pomponius: *Hi duo primum veluti diuersas* SECTAS *fecerunt. Nam* ATEIVS CAPITO *in his, quae ei tradita fuerant, perseuerabat:* LABEO *ingenii qualitate, & fiducia doctrinae, qui & ceteris operis sapientiae operam dederat, plura innouare instituit. l. 2. §. 47. ff. de orig. iur.* De his ICtorum sectis accuratissime egerunt Em. Merill. Obseru. I, 2. sequ. Euer. Otto de Sectis ICtorum, & God- *Earum descriptio.*

 frid.

frid. Mascouius de Sect. Sabinian. & Proculian. in primis Cap. IX. vbi vestigia sectarum praecipua per vniuersum ius ingenio sagaci inuestigauit.

§. CLVIII.

Status iuris Rom. sub Tiberio.

Talis sub Augusto fuit iurisprudentiae facies. Eius successor, TIBERIVS, princeps callidus, non modo iisdem Augusti artibus, inito principatu, sollerter vsus est, sed & noua quaedam reperit, ad stabiliendam μοναρχίαν vel maxime comparata. Nam vt inter initia imperii *ciuilem admodum, ac paullo minus, quam priuatum, egit*, Suet. Tiber. Cap. XXVI. adeo *vt cuncta per consules inciperet, tanquam vetere republica, & ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi* TRIBVNICIAE POT. *praescriptione proponeret:* (§. CXLI.) Tacit. Ann. I, 7. ita paullatim *principem exercuit, praestititque.* Sueton. Tiber. Cap. XXXIII.

§. CLXIX.

Lex Iunia Norbana

Sic Augusti exemplo leges ritu vetere, & missis in suffragium vel centuriis vel tribubus,

bus, tulit, inter quas inprimis celebratur LEX IVNIA NORBANA, de libertinis minus sollemniter manumissis ciuitatis iure priuandis, & Latinorum colonariorum numero habendis. Hanc enim non libera adhuc republica, anno V. C. DCLXXI. C. Iunio Norbano Balbo & L. Cornelio Coss. quod in mentem nuper venit V. C. Herm. Noordkerkio de Lege Petron. p. 91. sed centum annis post, puta vrbis conditae DCCLXXI. M. Iunio Silano & L. Iunio Norbano Coss. latam esse, docuimus in Antiqu. Rom. I, 5, 12. & contra Noordkerkium demonstrauit Io. Guil. Hoffmannus de Lege Iul. de adulter. Cap. V. p. 107. *sub Tiberio lata.*

§. CLX.

Seruauit Tiberius & reliqua Augusti instituta. Nam & praefectorum vrbi & praetorio potentiam auxit, & in prouinciis suo omnia arbitrio disposuit, & ICtorum celeberrimis, inter quos MASVRIVM SABINVM numerat Pomponius, facultatem de iure respondendi dedit. *l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.* *Tiberius & Augusti instituta seruat.*

§. CLXI.

Eo ipso tamen dominatum quam maxime *Et comitia*

e campo transtulit in curiam. me stabiliuit, quod primo statim imperii anno, Sex. Pompeio & Sex. Apuleio Coss. teste Tacito Ann. I, 15. comitia a populo ad patres transtulit. Nam ad eum diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen etiam studiis tribuum facta fuerant. Ex eo vero tempore Senatus potissimum ius faciebat, quem ita obnoxium habebant principes, vt non temere quisquam in alia ire auderet, quam qua ire animaduerteret principem: maxime quum in curia non, vti in campo Martio, vel in foro, occulta tabella suffragia ferrentur, sed senatorum quisque viua voce, & audiente Principe, sententiam non sine periculo dicere cogeretur. *

* Et haec erat vera huius consilii ratio. Nam quae in *l. 2. §. 9. ff. de orig. iur.* & §. 5. *Instit. de iur. nat. gent. & ciu.* adfertur, quasi nimirum difficile fuerit, tantam populi multitudinem in vnum conuenire, ad obtentum pertinet, quo nouum istud institutum apud populum excusabant principes. Ceterum quamuis mutatio ista initio potissimum ad magistratus creandos videretur pertinere, non ad leges, quas Tiberius adhuc aliquando populi suffragi-

is

is submittebat: facile tamen patet, expertem semel suffragiorum populum pati debuisse, vt & iura noua a Senatu, quotiescumque collibitum esset Principi, statuerentur.

§. CLXII.

Ex eo tempore rarius leges populi suffragiis perlatae sunt. Pleraque enim, quae pro legibus valere volebant principes, aut ipsi, habita in Senatu oratione, aut Quaestores candidati, praelecto libello, Senatui commendabant.* Quo facto Senatores aliquot dicebant sententiam, reliqui his aut verbo adsentiebantur, aut pedibus in partem alterutram ibant. Quod pluribus placuerat, id pro lege erat, & SENATVSCONSVLTVM dicebatur. Rem omnem exsequuti sumus in Antiqu. Rom. I, 2, 45. p. 71. sequ.

Vnde ex eo tempore multa iura noua SCis condita.

* LIBELLI, SCo praemissi, mentio fit l. 20. §. 6. ff. de hered. petit. Multo frequentius vero ORATIONIS, adeo vt, quae SCis introducta sunt, ea passim *orationibus principum* constituta dicantur, *l. pen. ff. ad SC. Tert. l. 8. pr. ff. de transact. l. 52. l. 10. ff. pro soc. l. 60. pr. ff. de rit. nupt. l. 32. pr. §. 1. sequ. ff. de donat.*

inter. vir. & vx. l. 1. l. 7. C. de praed. min. non alien. Sed de his Principum orationibus, quas QVAESTORES CANDIDATOS praelegere consueuisse, ex *l. 1. ff. de offic. Quaest.* Dione Cass. LIV. p. 617. Tacit. Annal. XVI, 27. Suet. Aug. Cap. LXV. & Tit. Cap. VI. patet, pluribus ex instituto post Scip. Gentilem egit Chr. Otto a Boekeln Diss. de Orat. princ. in Senatu.

§. CLXIII.

Talia sunt SC. Libonianum. Coepit sane ius hoc ritu constitui sub ipso Tiberio, quod vt exemplis demonstremus, anno V. C. DCCLXIX. T. Statilio Tauro & L. Scribonio Libone Coss. (ita enim legendum pro *Statilio & Tauro Coss.*) conditum SC. quo *poena legis Corneliae de falsis irrogatur etiam iis, qui quid aliud, quam testamentum, signarint, signariue curarint, falsas testationes faciendas, testamentaue falsa inuicem dicenda aut consignanda inuicem curauerint.* Pariat. Legum Mos. & Rom. VIII, 7. & ibi Pithoeus, Iac. Cuiac. Paratitl. C. ad L. Cornel. de fals. Petr. Fab. Semestr. I, 25. p. 143. Salmas. ad Ius Attic. XXX. p. 877.

§. CLXIV.

Item Au- Deinde anno V. C. DCCLXXIII. M. Au-

Aurelio Cotta & M. Valerio Messalla Coss. Senatus censuit, *vt, si qui coierint ad occisionem innocentum, lege Cornelia de falsis tenerentur.* Pariat. Leg. Mos. & Rom. ibid. Sequente anno Tiberio Aug. IV & Druso Nerone II. Coss. SCo cautum, *vt damnatis vitae spacium ad diem decimum propagaretur.* Tacit. Annal. III, 51. Sueton. Tiber. Cap. LXXV. Dio Cass. LVI. p. 617. Porro anno V. C. DCCLXXX. M Licinio V & L. Calpurnio Coss. (ita enim iterum legendum pro *Licinio V. & Tauro Coss.*) a Senatu sancitum, *vt ex lege Cornelia de falsis condemnarentur, qui ob struendam aduocationem, testimoniaue, pecuniam acceperint, pactiue fuerint, societatem coierint, aut aliquam delationem interposuerint.* Pariat. Leg. Mos. & Rom. ibid. ex quo etiam discimus biennio post, duobus Geminis Coss. Senatum eidem poenae subiecisse & illos, *qui ad venumdandum, denunciandum, vel non denunciandum remittendumue testimonium pecuniam accepissent.* *

*rel*ianum, Claudianum, Licinianum, Rubellianum.*

* In textu Pariatoris est: *ob venumdandum, vel denudandum, non remittendumue testimonium.* Quae quum sensum non habe-

ant, de sanando loco admodum solliciti fuere viri doctissimi, Herald. de Rer. iudic. auctorit. I, 6. Salmas. Iur. Attic. Cap. XXX. Grot. Flor. Spars. ad l. vlt. C. de concuss. & V. A. Corn. van. Bynkersh. Obs. III, 19.

§. CLXV.

Pernicianum vel Persicianum.

Eiusdem aetatis est SC. PERNICIANVM, vti vocatur apud Vlpianum Fragm. XV, 3. vel PERSICIANVM potius, ceu istud dicendum putat Perizon. de Lege Vocon. p. 156. conditum sub Tiberio anno V. C. DCCLXXXVII. Paullo Fabio Persico & L. Vitellio Nepote Coss. Est hoc illud caput, *quod Papiae legi a Tiberio additum, cuique a Claudio Imp. obrogatum esse*, scribit Sueton. Claud. Cap. XXIII. Eo cautum, *vt sexagenariorum & quinquagenariarum nuptiae ne essent, ac proinde vir & vxor poenis caelibatus perpetuo tenerentur.* Qua de re plura diximus in Comment. ad L. Iul. & Pap. Popp. II, 3, 5. p. 159. sequ.

§. CLXVI.

Tiberius quaedam

Quemadmodum vero iam sub Augusto, qui vel maxime ciuilis videri cupiebat,

bat, non pauca edictis rescriptisque constitutasse, vidimus: (§. CXLII) ita multo minus dubitandum videtur, quin & TIBERIVS eadem potestate vsus sit. Eius sane constitutionum & rescriptorum mentio fit in *l. 28. ff. de hered. inst.* & *l. 38. §. 10. ff. ad L. Iul. de adult.* *edictis ac rescriptis constituit.*

§. CLXVII.

Ceterum sub Tiberio quoque floruerunt IVRISCONSVLTI praestantissimi, inter quos primum locum iure quodam suo sibi vindicat MASVRIVS SABINVS, non ille apud Athenaeum, * quem cum nostro plerique perperam confundunt, sed celebratus ab Arriano Diss. Epictet IV, 3. & Persio Satyra V. Praeceptore ille vsus est Ateio Capitone, cuius praecepta adeo religiose tenuit, vt ab eo potissimum SABINIANORVM nomen deriuent. ** Facultatem de iure respondendi a Tiberio acceperat, nec tamen multum fecerat rei, tam curtae quippe supellectilis, vt fere ab auditoribus esset alendus. *l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.* Occurrit apud Gruter. Inscript. p. DXXXV, 5. MASVRIA M. F. MARCELLA, nupta veterano, quam filiam *ICti sub Tiberio: Masurius Sabinus.*

noſtri fuiſſe putat Reineſ. ad Inſcript. p. 259. Quod ſi verum eſſet, & praenomen ICti noſtri inde reſtitui poſſet. Sed rem non adeo expeditam eſſe, facile unusquisque intelligit.

* Quamuis enim inter colloquutores apud Athenaeum fuerit Maſurius quidam, isque ICtus adpelletur, ac proinde eum hunc ipſum Sabinum noſtrum eſſe putent Guil. Grot. in Vit. ICt. II, 1. & Rupert. ad Pompon. p. 435. ratio tamen temporis, quo id conuiuium praebitum fingitur, vix patitur, vt huic ſententiae adiiciamus calculum. Vid. Gerard. Io. Voſſ. de Hiſt. Latin. I, 21. & qui nuper eamdem rem egit, V. C. Car. Andr. Ducker. de Latin. vet. ICt. p. 158.

** Ita quidem plerique, quos & nos aliquando ſequuti ſumus. Solus Iac. Gothofr. in Manuale Iur. p. 29. *Sabinianorum* nomen a Caelio demum Sabino arceſſit, qui ſub Veſpaſianis floruit. Et ſane, quum ſectatores diuerſa nomina adſumere ſoleant a doctoribus, eodem tempore florentibus: probabile eſt, opponendos ſibi inuicem eſſe PROCVLVM & CASSIVM, qui ſub Claudio & Nerone potiſſimum; nec non PAEGASVM & SABINVM, qui ſub Veſpaſianis floruerunt, cui ſententiae fauere videtur ipſe

Pom-

Pomponius *l. 2. § vlt. de orig. iur.* dum ſcribit: *Adpellatique ſunt partim* CASSIANI, *partim* PROCVLEIANI, *quae origo a Capitone & Labeone coeperat.*

§. CLXVIII.

Reliquit Sabinus opera plane egregia, inter quae *libri* tres IVRIS CIVILIS tantae admirationi fuerunt veteribus, vt non modo in eos certatim notas ſcripſerint ICti, veluti Pomponius, Vlpianus, Paullus, immo & Ariſto, *l. 6 ff. de vſu & habit.* ſed & plerique, qui ab his temporibus ad Hadrianum vsque floruerunt, in operibus ſuis librorum Sabinianorum ordinem, quem Iac. Gothofredus in *Quatuor fontibus iuris ciuilis* oſtendit, ſequuti ſint. Hub. Giphan. Oecon. Iur. p. 120. Quin hi ipſi videntur libri, quos Arrianus τὲς Μασεϱίε νόμες, *leges Maſſurii;* Perſius vero *Maſuri rubricam* vocat. Laudatur a Gellio IV, 9. etiam liber DE INDIGENIS: ſed vel fragmentum, quod ibi occurrit, ſatis firmat coniecturam Iuſti Lipſii, Elect. I, 7. apud Gellium legentis DE INDIGITAMENTIS, id eſt βιβλίοις ἱεϱατικοῖς, in quibus Deorum nomina & ſacrorum ritus

Eius ſcripta.

tus veluti in indice, comprehendebantur. Libros FASTORVM laudat Macrob. Saturn. I, 4. libros MEMORABILIVM, vel MEMORIALIVM, opus historicum, Gellius IV, 20. V, 6. VI, 7. Macrob. III, 6. *l. 144. ff. de verb. signif.* Scripsit & quaedam AD EDICTVM, *l. 18. ff. de op. libert.* libros ADSESSORIORVM, *l. 5. §. 8. de iniur. l. 12. ff. de pact.* AD VITELLIVM, *l. 45. ff. de legat. 3.* denique RESPONSA, *l. 4. ff. ad Leg. Rhod. de iact.* Quem enim Gellius Noct. XI, 18. memorat, liber DE FVRTIS, non tam singulare opusculum, quam pars librorum iuris ciuilis fuisse videtur.

§. CLXIX.

M. Cocceius Nerua. Eorumdem temporum, at diuersae sectae, fuit M. COCCEIVS NERVA, quippe quem Labeonis fuisse sectatorem, & dissensiones auxisse, testatur Pomponius *l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.* Tiberio fuit familiarissimus, quocum solus Senatorum in Campania septem fere annis coniunctissime vixit. Tacit. Annal. IV, 58. VI, 26. Functus etiam est aquarum curatione, teste Frontin. de Aquaeduct. Lib. II, & Consul creatus an-

no

no V. C. DCCLXXV. collega C. Vibio Rufino. Gruter. Inſcr. p. CLXXXVII, 13. & p. DCII, 4. Demum vitam anno V. C. DCCLXXXVI, inedia finiit, tanta obſtinatione animi, vt ne a Tiberio quidem ſe a propoſito reuocari pateretur. Tacit. Annal. VI, 26. Reliquiſſe eum quaedam ingenii monimenta, ſatis conſtat ex. *l.* 2. *ſ.* 28. *ff. ne quid in loc. publ.* at eorum ne inſcriptio quidem vel titulus hodie ſupereſt.

§. CLXX.

Status iuris Rom. ſub Caio Caligula.

Qui Tiberio ſucceſſit, C. CALIGVLA, nihil fere, praeter externam ſpeciem, humani habuit, neque monſtro illi ac dedecori humani generis quidquam debet iurisprudentia. Tentauerat, comitiorum more reuocato, ſuffragia populo reddere: Suet. Calig. Cap. XVI. & reddiderat etiam, ſed mox iterum erepturus. Dio Caſſ. Lib. LVIII. p. 336. ſequ. ICtis, ſi quisquam alius, infenſiſſimus, non modo C. Caſſium Longinum occidi voluerat, Caſſium cauere ſortibus Antiatinis iuſſus, Sueton. in Caio Cap. LVII. Dio Caſſ. Lib. LIX, extr. verum etiam toti ICtorum ordini exitium

um eſt minatus, ſi recte intelligimus verba Suetonii Cap. XXXIV. *De iuris quoque conſultis, quaſi ſcientiae eorum omnem vſum aboliturus, ſaepe iactauit, ſe mehercule effecturum, ne quid reſpondere poſſint, praeter eum.*

§. CLXXI.

Cur nihil eius in iure exſtet?

Enimuero & breue fuit Caligulae imperium, nec illi integrum fuit in quotidiana ingluuie, de vlla re ſeria cogitare. Praeterea acta illius omnia reſcidit ſucceſſor Claudius. Sueton. Claud. Cap. XI. adeoque, ſi vel maxime in iure noſtro immutauerit aliquid, id non diu ratum fuit. Et hinc facile reddideris rationem, cur in vniuerſo iure noſtro nihil, quod C. Caligulae debeat originem, vſquam occurrat.

§. CLXXII.

Sub Claudio primum instituti Praetores fideicommiſſarum.

Multa contra emendauit, multa noua reperit, non incallidus iuris, nec peſſimis principibus adnumerandus, TI. CLAVDIVS CAES. Primo enim quaedam circa magiſtratus mutauit, & *iurisdictionem de fideicommiſſis, quotannis,* &

& tantum in vrbe delegari magiſtratibus ſolitam, in perpetuum, atque etiam per prouincias poteſtatibus delegauit: Suet. Claud. Cap. XXIII. vel, vt planius rem eloquitur Pomponius, *duos* PRAETORES *reliquis adiecit, qui* DE FIDEICOMMISSO *ius dicerent. l. 2. ſ. 17. ff. de orig. iur.* Ex eo ergo tempore non vnus, vt §. 1. Inſt. de fideic. her. dicitur, ſed duo in vrbe fuere PRAETORES DE FIDEICOMMISS. vt vocantur apud Grut. p. CCCXCIII, 6.

§. CLXXIII.

Tutorum datio Coſſ demandata.

Deinde ſatis notum eſt, eumdem Claudium ſanxiſſe, vt *pupillis extra ordinem tutores a conſulibus darentur.* Suet. ibid. Quum enim antea ex lege Atilia in vrbe tutores darent Praetores cum maiore parte Tribunorum plebis: (§. LXXXII.) Claudius, Imp. animaduertens, id minus diligenter fieri a Praetoribus, eam curam delegauit Coſſ. tutores in poſterum cum inquiſitione daturis. *ſ. 5. Inſt. de Atil. tut.* Id quod adhuc Plinii Secundi temporibus obtinuiſſe, patet ex Epiſt. IX, 13.

§. CLXXIV.

§. CLXXIV.

SC. Claudianum de sexagenariorum nuptiis. Multa quoque sub Claudio constituta sunt SENATVSCONSVLTIS, quorum pleraque, quia in eius consulatibus facta sunt, ab ipso CLAVDIANA* cognominantur, de quibus fuse Petr. Faber Semestr. I, 25. Sic laudari videmus SC. CLAVDIANVM, quo cautum, vt, *qui maior sexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde haberetur, ac si minor sexaginta annis duxisset vxorem.* Vlpian. Fragm. XVI, 3. Comment. nost. de Leg. Iul. & Pap. Popp. II, 3, 6. p. 162.

* Nec tamen omnia SC. Claudiana Claudio Imp. tribuenda sunt. Ita enim & Claudianum vocatur edictum, quod ad Legem Corneliam de falsis factum est, *l. 14. §. 2. l. 15. ff. ad L. Corn. de fals.* & id quod tamen a Tiberio esse, eleganter demonstrauit Petr. Faber Semestr. I, 25. p. 143. Aliud eiusdem nominis SC. memoratur in *rubr. tit. ff. de SC. Silan.* quod tamen Nerone Imp. II, & Calpurnio Pisone Coss. factum, ideo PISONIANVM quoque vocatur. *l. 8. ff. eod.*

§. CLXXV.

Alia SC. Est & aliud SC. CLAVDIANVM, quod

quod ad rem nauticam pertinuit, cuius varia capita passim occurrunt, veluti, *vt, si quis ex naufragio clauos, vel vnum ex his, abstulisset, omnium rerum nomine teneretur. l. 3. §. 8. ff. de incend. ruin. naufr.* item, *vt negotiatoribus certa lucra proponerentur, suscepto damno, si quid per tempestates accidisset: vt naues mercaturae caussa fabricantibus, magna commoda constituerentur, pro conditione cuiusque: ciuibus vacatio legis Papiae Poppaeae, Latinis ius Quiritium; feminis ius quatuor liberorum.* Suet. Claud. Cap. XVIII & XIX. Vlpian. Fragm. III, 1, 6. *l. 3 ff. de vacat. & excus. mun. l. 5. §. 3. ff. de iur. immunit.* Porro nota est LEX CLAVDIA, id est, vt ego interpretor, SC. CLAVDIANVM, quo tutela mulierum legitima sustinetur, Vlp. Fragm. XI, 8. de quo nos in Comment. ad L. Iul. & Pap Popp. II, 11, 3. p. 237. Denique celeberrimum fuit SC. CLAVDIANVM, *de muliere serui alieni amore bachante a domino serui in seruitutem vindicanda*, quod Iustinianus sustulit. *pr. Inst. de success. sublat. l. vn. C. de SC. Claud. toll.* Paull. Rec. Sent. II, 21, 1. Tertull. ad

Claudiana.

vxor. II, 8. Conditum illud est anno V. C. DCCCV. Tacit. Annal. XII, 53. Cur vero Vespasiano a Suet. Vesp. Cap. XI. tribuatur, eleganter disquirit Petr. Fab. Semestr. I, 25.

§. CLXXVI.

SC. Largianum, & alia sub Claudio facta.

Sunt & quaedam SC. quae etiam eo imperante prodierunt, nec tamen a CLAVDIO, sed a Coss. tum fasces tenentibus, vel aliunde nomen habent. Sic primo statim imperii anno, Claudio & A Caecina Largo Coss. conditum SC. LARGIANVM, quo cautum, *vt liberi manumissoris, non nominatim exheredes scripti, extraneis heredibus in bonis Latinorum praeferrentur. l. vn. C. de Lat. lib. toll.* Sic & Velleio Rufo & Osterio Scapula Coss. id est anno V. C. DCCXCVIII. SC. factum de adsignandis libertis, cuius ipsa verba legitima habentur in *l. 1. pr. ff. de adsign. libert.* Duo porro SCa, de aedificiis negotiationis caussa non diruendis, integra exstant apud Iul. Capac. Hist. Neapol. II, 9. & Reines. Inscr. VII, 11. quorum alterum Cn. Hosidio Geta L. Vagellio Coss. suffectis, id est, anno V. C. DCCXCIX. alterum nouennio post sub Ne-

Nerone conditum, ex quo verba quaedam recitari videmus a Paullo *l. 52. ff. de contrah. emt.*

§. CLXXVII.

Nec minus celebre est SC. MACEDONIANVM, Claudianis temporibus factum, * anno V. C. DCCC. Tacit. Annal. XI, 13. & a Macedone, improbo filiofam. qui inter ceteras sceleris caussas, quas ei natura administrabat, etiam aes alienum adhibuerat, denominatum, quo cautum, vt ne iis, qui pecuniam filiisfam. crediderint, etiam post mortem patris actio petitioque daretur. *l. 1. ff. ad SC. Maced.* Theophil. Paraphr. *§. 7. Inst. quod cum eo, qui in alien. potest. est, negot.* *Macedonianum.*

* Vespasiano hoc SC. attribuit Sueton. in Vespasian. Cap. XI. Sed potest Vespasianus adhuc Senator, sub Claudio auctor fuisse Senatui, vt improborum foeneratorum, incertis nominibus credentium, rapacitatem coerceret. Potest etiam saluberrima sanctio atrocissimis Neronis temporibus iterum obsoleuisse, vt Vespasianus iterum de eadem re ad Senatum referre cogeretur. Saepe enim iura iis, qui desuetudine inumbrata in vsum reuocarunt, tamquam auctoribus adscribi, ex-

emplis docuit Fridr. Brummer. ad Leg. Cinc. Cap. III.

§. CLXXVIII.

Multa etiam edictis constituit Claudius.

Praeterea EDICTIS etiam ac RESCRIPTIS, decessorum exemplo, non pauca constituisse Claudium, ex ipso iure nostro satis manifestum est. Ita enim constituit, *vt exposita a dominis mancipia, aegra & adfecta, libera essent, nec redirent in ditionem domini, si conualuissent. Quod si quis necare mallet, quam exponere, caedis crimine teneretur.* Sueton. Claud. Cap. XXV. Itemque, *vt curatoris auctoritas in adrogatione intercederet: l. 8. ff. de adopt.* nec non, *vt, bonis paternis a fisco propter debitum occupatis, peculium filio separaretur. l. 3. §. 4. ff. de minor.* Porro, *vt si per quaestionem nummariam praeiudicium statui videatur fieri, quaestio cessaret. l. 4. §. 1. ff. ne de statu defunct.* EDICTO denique cauerat Claudius, *ne feminae pro viris intercederent. l. 2. pr. ff. ad SC. Vellei.*

§. CLXXIX.

Status iuris sub

Progredimur ad CLAVDIVM NERONEM, Caesarem, qui vt primo quin-

quinquennio humanissimi Principis exemplum praebuit, ita procedente tempore tam sui factus est dissimilis, vt in exitium generis humani natus videretur. De nouis eius institutis Sueton. Neron. Cap. XVII. *Aduersus falsarios tum primum repertum, ne tabulae, nisi ter pertusae, ac ter lino per foramina traiectae obsignarentur.* * *Cautum, vt in testamentis primae duae cerae testatorum modo nomine inscripto vacuae signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor, legatum sibi adscriberet. Item, vt litigatores pro patrociniis certam iustamque mercedem, pro subselliis nullam omnino, darent, praebente aerario gratuita, vtque rerum actus ab aerario caussae ad forum ac recuperatores transferrentur, & vt omnes adpellationes a iudicibus ad Senatum fierent.* *Nerone.*

* Consulendus de hoc tabulas signandi modo CLAVD. SALMASIVS, cuius diatribe singularis *de modo subscribendi & subsignandi testamenta, & de veterum & hodiernorum sigillorum differentia contra Des. Heraldum*, prodiit Lugd. Bat. MDC LIII. 8.

§. CLXXX.

SCa quaedam sub Nerone facta, ex sententia Suetonii.

Quibus verbis Suetonius ad SCa quaedam quae ſub Nerone facta exiſtimat, reſpicit. *Primi* de tabulis certo modo ſignandis, meminit etiam Paullus Recept. Sent. V, 25, 6. Verum illud ſub Tiberio prodiiſſe, obſeruat Petr. Faber Semeſtr. I, 25. Quod & de *altero*, quo prohibetur, ne quis ſibi legatum adſcribat, cenſendum. Eſt enim illud ex SC. LIBONIANO, quod itidem ſub Tiberio factum eſſe, ſupra vidimus. (§. CLXII.) *Tertium* ad Legem Cinciam de donis & muneribus pertinet. At hic quoque ἁμάρτημα μνημονικὸν obſeruat Fridr. Brummer. ad L. Cinc. Cap. V. p. 54. Quod enim Suetonius hic ſtatuiſſe ait Neronem, *vt litigatores pro patrociniis certam iuſtamque mercedem darent*, id a Tiberio ſancitum eſſe, Neronem vero legem Cinciam potius in vſum revocaſſe, patet ex Tacit. Annal. XIII, 4. *Poſtremum* de cauſſis ab aerario ad forum transferendis adpellandoque Senatu, quale fuerit, ſcire me fateor cum ignariſſimis.

§. CLXXXI.

SC. Calui-

Magis certum eſt, ſub Nerone conditum

ditum esse SC. CALVITIANVM, vel, *tianum.* vti Perizonius de Lege Vocon. p. 63. legendum putat, CALVISIANVM, quo Senatus censuit, *vt quae quinquagenaria maior minori sexagenario nupserit, quique minor sexagenario maiorem quinquagenaria duxerit, iis impar illud matrimonium ad capiendas hereditates dotesque legatas ne proficeret, sed dos, mortua muliere, caduca fieret.* Vlpian. Fragm. XVI, 4. Conf. Comment. nostr. ad Leg. Iul. & Pap. Popp. II, 3. p. 163.

§. CLXXXII.

Certae quoque aetatis est SC. C. Memmio Regulo & Verginio Rufo Coss. anno V. C. DCCCXV. factum, quo cautum, *ne simulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, & ne vsurpandis quidem hereditatibus prodesset.* Tacit. Annal. XV, 19. *l. 51. §. 1. ff. de legat. 2. l. 76. ff. de condit. & demonstr.* Vid. Comment. nostrum ad L. Iul. & Pap. II, 7. p. 204. sequ. PISONIANI *de falsis*, iam supra mentionem fecimus. (§. CLXXIV. *) TVRPILLIANVM de abolitionibus & tergiuersationibus in iudicio publico, de

Item Memmianum, Pisonianum, Turpillianum, Volusianum.

quo *l. 2. ff. l. 2. C. ad SC. Turpill. l. 3. §. vlt. de praeuaricat.* factum est anno V. C. *DCCCXIII.* C. Caesonio Paeto & C. Petronio Turpilliano Coss. Denique VOLVSIANVM, factum anno *DCCCVIII.* Volusio & P. Cornelio Coss. * *de aedificiis negotiationis caussa non diruendis, marmoribusque non detrahendis* integrum exstare, ex eoque verba quaedam in *l. 52. ff. de contr. emt.* superesse, iam supra obseruauimus. (§. CLXXVI.)

* Vnde non dubitandum, quin eiusdem aetatis, ab eodemque Cos. denominatum sit SC. VOLVSIANVM alterum, quo cautum, vt, qui improbe in alienam litem coeunt ea lege, vt, quod inde in rem alicuius redactum esset, inter eos communicetur, lege Iulia de vi priuata tenerentur. *l. 6. ff. ad L. Iul. de vi priuat.*

§. CLXXXIII.

Denique Trebellianum. Sed nescio an vllum sit SC. celebrius TREBELLIANO, quod L. Annaeo Seneca & Trebellio Maximo Coss. * anno *V. C. DCCCXIV.* VIII. Kal. Sept. factum esse, ex *§. 6. Inst. de fideicommiss. hered.* discimus. Notum quoque, eo sanxisse Senatum, *vt actiones, quae in heredem here-*

heredibusque dari solent, eae neque in eos, neque his darentur, qui fidei suae commissum, sicuti rogati essent, restituissent: sed his & in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset, quo magis in reliquum confirmarentur supremae defunctorum voluntates. l. 1. ff. ad SC. Trebell.

* Theodor. Marcilius ad §. *6. Inst. de fideic. hered.* quaestionem mouet, cur hoc SC. non ab Annaeo Seneca Annaeanum, sed a Trebellio *Trebellianum* dicatur, quumtamen maior Cos. fuerit Seneca. Suspicatur, itaque id SC. initio vere dictum esse ANNAEANVM, at amisisse id nomen, quum Senecae memoria damnata esset. Iam verum quidem est, *damnata* alicuius *memoria*, ne numos quidem, in quibus eius nomen esset, valuisse, Arrian. Dissert. Epictet. IV, 5. nec statuas vel picturas eius inconuulsas stetisse, Tacit. Hist. III, 13. Herodian. I, 14. VII, 2, & 7. VIII, 5. Iuuenal. Sat. X. v. 62. Iul. Capitolin. Maximin. Cap. XXIII. & Gordian. Cap. IX. Lactant. de mort. persequ. Cap. XLII. Euseb. Hist. Eccl. VIII, 13. quin nihil ab eo actum gestumque ratum fuisse: qua de re plura disserunt Lips. Exc. A. ad Tac. VI. Annal. & Radulph. Forner. Rer. Quotidian. II, 17. & 18. At non opus est ea coniectura. Non enim SCa semper a consule maiore

iore dicebantur, sed ab eo, qui ad Senatum referebat. Et unde constat, quaeso, hoc SC. vnquam ANNAEANVM dictum esse?

§. CLXXXIV.

ICti sub Caio, Claudio & Nerone: Sempronius Proculus.

Sed dicendum etiam de IVRECONSVLTIS, qui a Tiberii potissimum excessu ad Neronis interitum floruerunt. In his primum sibi locum vindicat SEMPRONIVS PROCVLVS,* quem Neruae successisse, maximaeque auctoritatis fuisse, & plurimum potuisse, refert Pomponius, addens, ab eo Labeonis familiam PROCVLEIANORVM nomen adsumsisse, quod ab anno V. C. *DCCLXXVI*, quo viuere Nerua desierat, factum esse oportet. Scripsit EPISTOLARVM libros non octo, quot in codice Florentino memorantur, sed multo plures, quum etiam ex libro XI. fragmenta exstent: *l. 69. ff. de contrah. emt. l. 12. ff. praescr. verb. l. 17. ff. de pact. dot.* nec non NOTAS AD LABEONEM. *l. 10. §. 1. ff. de neg. gest. l. 69. ff. de condit. & demonstr.*

* Quidam eum ex gente *Iulia* fuisse existimant, ob marmor in ruderibus aedium

Pro-

Proculi cuiusdam repertum, quod tamen non ad ICtum nostrum, sed ad L. Aradium Proculum pertinere, censet Reines. Inscr. VI, 122. p. 459. eaque occasione docet, Proculum nostrum non ex gente *Iulia*, sed *Licinia* fuisse. At verosimilius est, eum nec *Licinium*, nec *Iulium*, sed Sempronium esse nominatum. Eu. Otto praefat. Tomi I. Thesaur. iur. Et sane Sempronios Proculorum vsos esse cognomine, patet ex Gruter. Inscr. p. DLX, 9. De aetate Proculi haut parum alucinatur Perrenon. Animadu. II, 23. dum eum sub Iulio Caesare vixisse putat. Nec minus errant, qui ad Proculum nostrum referunt verba Martialis Epigr. I, 71.

Vade salutatum, pro me, liber, ire iuberis
Ad PROCVLI *nitidos, officiose, Lares.*

Scripsit enim Martialis sub Domitiano, & si ponas, Proculum anno V. C. DCC LXXVI, quum Neruae succederet, XXX annorum fuisse, sub Domitiano certe parum a C annis absuisset.

§. CLXXXV.

Aequalis illi fuit C. CASSIVS LONGINVS, Aelii Tuberonis ex filia nepos, *C. Cassius Longinus.*

pos, Ser. Sulpicii pronepos, (§. CLV.) Conſul creatus anno V. C. DCCLXXXIII. cum L. Naeuio Surdino, vt ex Grut. Inſcr. p. MLXXXVII, 4. demonſtrarunt Rupert. in Enchir. p. 443. ſequ. & Henr. Noriſ. in Epiſt. Conſulari. Caius Caligula eum primum Aſiae praefecerat, mox occidi, ſed fruſtra, iuſſerat. (§. CLXXX.) Suet. Calig. Cap. LVII. Dio Caſſ. Lib. LIX. extr. Sub Claudio Syriae praefuit, & ad Euphratem caſtra poſuit, Tac. Annal. XII, 11. & 12. quin & cum Iudaeis negotium habuit. Ioſeph. Antiqu. Iud. XX, 1. Sub Nerone in Senatu liberrime dixit ſententiam, Tacit. Annal. XIII, 11. donec ſaeuiſſimo principi ſuſpectus in Sardinia exſulare iuſſus eſt, Tacit. Annal. XVI, 7. & 9. Sueton. Ner. Cap. XXXVII. inde tamen reuocatus a Veſpaſiano. l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur. Aegid. Menag. Amoen. iur. Cap. XLIII. p. 417.

§. CLXXXVI.

Eius ſcripta & Schola.

Reliquerat libros X aut plures IVRIS CIVILIS, *l. 70. pr. ff. de vſufr.* nec non notas AD VITELLIVM, *l. 12. ſ. 27. ff. de inſtr. & inſtrum.* immo & AD VR-

SE-

SEIVM FEROCEM, *l. 10. §. 5. ff. quib. mod. vſufr. vel vſ. amitt.* * In Caſſium deinde notarunt ARISTO, *l. 17. §. 1. ff. de vſufr.* & IAVOLENVS PRISCVS. *l. 28. §. 1. ff. de ſtatu lib.* At multo maiorem ſibi famam peperit, propagatis ad poſteritatem & magis magisque perpolitis Maſurii Sabini, praeceptoris, principiis. Fuit enim *Scholae Caſſianae princeps & parens*, vti vocatur a Plin. Epiſt. VII, 24, nouamque lucem Ateii Capitonis familiae intulit, quae inde CASSIANORVM nomen adſciuit. *l. 35. §. 3. de mort. cauſſ. don. l. 18. ff. de furt.*

* Equidem Io. Bertrandum & Eberlinum, qui Caſſium ad Vrſeium, notaſſe ſcribunt, refellit Guil. Grot. in Vit. ICt. II, 4. quem fere ſequitur Aegid. Menag. Amoen. Iur. Ciu. Cap. XLIII. p. 429, exiſtimans cum Guil. Grotio, potius Vrſeium ad Caſſium notaſſe. At nemo ignorat, quid ICtis ſignificet *notare apud Caſſium.* Res eo redit, vter fuerit aetate prior. Prior vero ſine dubio fuit Vrſeius, quem ipſe Caſſius citat. *l. 1. §. 10. ff. quar. rer. act. non det.* Quidni ergo ad eumdem notas ſcribere potuerit?

§. CLXXXVII.

§. CLXXXVII.

Atilicinus & Cassius Longinus alter.

Obſcurioris famae fuerunt ATILICINVS & CASSIVS LONGINVS alter, cuius meminit Pomponius *l. 2. ſ. vlt. ff. de orig. iur.* vbi eum ex equeſtri ordine fuiſſe, & ad Praeturam perueniſſe, ſcribit. ATILICINVS Proculi aequalis fuit, quippe quocum litterarum commercium habuiſſe videtur. *l. 17. ff. de pact. dotal.* Inde etiam Proculi partibus eum fuiſſe addictum colligunt, maxime, quum ſe plerumque vel Proculo, vel Neruae adſentiri fateatur. *l. 27. pr. ff. de pact. l. 21. ſ. 9. ff. de recept. arbitr. l. 5. ſ 1. ff. de seru. praed. ruſt. l. 17. ff. de pecul. l. 7. pr. ff. de condict. cauſſ. dat. l. 19. ff. mand. l. 19. ff. de legat. 3. l. 16. ff. de liberat. leg. l. 49. pr. ad L. Falc. l. 4. ſ. 8. ff. de doli mal. & met. exc.*

§. CLXXXVIII.

Nerua filius.

COCCEIVS NERVA, Marci illius quem ſupra deſcripſimus, (§. CLXVIV.) filius, Neruae Imp. pater, ingenio praecociſſimo celebris fuit, quippe qui XVII annorum adoleſcens, aut non multo maior, de iure iam reſponſitauit. * *l. 1. ſ. 3.*

3. ff. de postul. Ad eum procul dubio referendum, quod apud Tacit. Annal. XV, 72. de Cocceio Nerua narratur, eum nimirum Praetorem designatum tanti fuisse Neroni, vt supra triumphalem in foro imaginem apud palatium quoque eius effigies sisteretur. Libri eius de VSVCAPIONIBVS citantur a Papiniano *l. 47. ff. de adqu. vel amitt. poss.* Saepissime vero, dissimulato librorum titulo, laudatur a Caio, Pomponio, Venuleio, Vlpiano, Paullo, & quidem sub nomine *Neruae filii:* vt dubium non sit, eum Proculeianum fuisse. Id quod etiam iure colligas ex *l. 3. §. 17. ff. de adqu. possess. l. 2. ff. de his, qui not. infam.*

* Quum adolescens non *respondisse*, sed *responsitasse* de iure dicatur: Guil. Maranus & Mornacius suspicati sunt, *responsitare* minus esse, quam *respondere*, quos exinde & Choartius & Dionys. Gothofredus sunt sequuti. Sed quis ignorat, *responsitare* esse frequentatiuum, adeoque augere ac intendere potius verbi notionem, quam minuere? Iure ergo hunc doctorum virorum errorem notauit Aegid. Menag. Amoen. Iur. Cap. II. p. 4.

§. CLXXXIX.

§. CLXXXIX.

Status iuris Rom. sub Galba, Othone, Vitellio.

Qui Neronem ſequuti ſunt, principes tragici, ac veluti intercalares, GALBA, OTHO, VITELLIVS, inter fluctus ciuiles perpetuos, vix quidquam circa ius ciuile conſtituere potuerunt. De VITELLIO tamen hic non praetermittendum, quod memoriae prodidit Tacit. Hiſtor. II, 90. *funeſti ominis loco acceptum eſſe, quod maximum pontificatum adeptus, de caerimoniis publicis XV. Kal. Aug.* EDIXISSET, *antiquitus infauſto die, Cremerenſi Allienſique cladibus.* Ex eo enim patet, Pontifices etiam max. ſub ſacerdotii ſui auſpicia edicta propoſuiſſe de ſacris & caerimoniis, (§. LVII.*) eumque morem ne his quidem temporibus exoleuiſſe. Iac. Guther. de iure Pontific. I, 12. Io. Andr. Boſ. de Pontif. max. Rom. IV, 1.

§. CLXXXX.

T. Veſpaſianus multa iura conſtitutionibus ſuis inuexit.

Stabilius fuit VESPANIANORVM imperium, idque proinde & plurima noua in iurisprudentiam inuexit. T. VESPASIANVS, cui ad hoc faſtigium euecto, omnem poteſtatem, qua olim Auguſtus, Tiberius & Claudius vſi eſſent,

ſent, honorificentiſſima ſanctione Senatus decreuerat: (§. CXXXVI*) Grut. Inſcript. p. CCXLII. plura conſtituit. EDICTIS, veluti, *ne plures, quam terni, legati a ciuitatibus mitterentur: l. 4. ſ. 6. ff. de legation:* plura DECREVIT, ceu docet exemplum *l. 7. pr. ff. de iur. patron:* plura denique RESCRIPTIS praecepit, veluti, *vt grammatici, medici, oratores, philoſophi, a recipiendis hoſpitibus immunes eſſent. l. 18. ſ. 30. ff. de mun. & honor.**

* Ant. Auguſtin. de nom. propr. Pandect. III, 7. 264. exſtare apud ſe ſcribit exemplum reſcripti ad IV. viros & Decuriones Saborenſes, adeoque ſanctionem pragmaticam. Ea vero an vmquam lucem viderit, iam inquirere non vacat.

§. CXCI.

SCa ſub Veſpaſiano facta, veluti Pegaſianum, Plancianum, Vitraſianum & alia.

Idem tamen & veteris moris, de rebus alicuius momenti ad Senatum referendi, fuit tenaciſſimus. Hinc & ſub eo SCA facta eſſe legimus. In his eminet PEGASIANVM, quo Pegaſo & Puſione Coſſ. cenſuit Senatus, *vt ei, qui rogatus eſſet hereditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere liceret.* Vlp.

N Fragm.

Fragm. XXV, 14. Paull. Recept. Sent. IV, 3. *§. 5. Inst. de fideic. hered.* Notum quoque est vtrumque PLANCIANVM,* tum *de fideicommissis, quae personis incapacibus relinquerentur: l. 59. §. 1. ff. ad Leg. Falcid.* tum *de agnoscendo partu. l. 3. ff. de agnosc. part. & al. lib.* Memoratur etiam SC. his temporibus factum de aedificiis negotiationis caussa non diruendis, nec detrahendis marmoribus. *l. 2. C. de aedific. priuat.* Denique eiusdem aetatis est VITRASIANVM *de seruis manumissis, & pretio manumissionis. l. 30. §. 6. ff. de fideic. libert.*

* M. PLANCIVS VARVS, cui nomen debet hoc SC. sub Vespasiano praetura functus est: Tacit. Hist. II, 63. nec dubitari potest, quin sub eodem fuerit consul suffectus, quamuis, vti fieri solet, hoc taceant veteres scriptores. Proconsulem enim paullo post fuisse, docet numus apud Car. Spon. in Itinerario sub finem, vbi vocatur ΜΑΡΚΟΣ ΠΛΑΝΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Ad Proconsulatus vero non temere alii, quam viri consulares, adspirabant.

§. CXCII.

Alia sub eo Ab eodem Vespasiano vltimum lustrum

ſtrum conditum eſſe anno erae Dionyſia- *circa ius*
cae *LXXIV*. Veſpaſiano Aug. *V*. & Tito *mutata*.
Caeſare *III*. Coſſ. neque vmquam poſtea
cenſum actum eſſe, obſeruat Cenſorin. de die nat. Cap. *XVIII*. Longo tamen interuallo repetitum cenſum egiſſe dicitur Decius, apud Trebell. Poll. in Valerian. *I*. & *II*. Ex eo autem conſequitur, vt & manumiſſio per cenſum luſtralem ſub Veſpaſiano exoleuerit, de qua Vlpian. Fragm. *I*, 8. Cic. de Orat. *I*, 40. Eumdem Veſpaſianum de contrahendis litibus cogitaſſe, teſtatur Sueton. Veſpaſ. Cap. *X*.

§. CXCIII.

Non adeo multa ſunt, quae TITO, *Nec non*
Imperatori, debeat iuriſprudentia, quip- *ſub Tito*
pe inter ipſa imperii initia properantibus *Imp.*
fatis exſtincto. Notari tamen meretur primo, eum de binis praetoribus fideicommiſſariis, vnum detraxiſſe: *l. 2. §. 32. ff. de orig. iur.* deinde, eumdem grauiſſimas leges oppoſuiſſe delatoribus, qui tum impune in corpora bonaque innocentum graſſabantur: Plin. Panegyr. Cap. *XXXV*. Sueton. Tit. Cap. *VIII*. Brenkm. de Lege Remmi. Cap. *XVIII*. p. 1622.

tum porro, Titum esse auctorem praecipuum priuilegii, quod militibus circa testamentifactionem indulgetur: *l. 1. pr. ff. de test. mil.* Denique & constitutionis Titi Imp. mentionem fieri *l. 1. §. 3. ff. de iur. fisc.*

§. CXCIV.

Et sub Domitiano. FLAVIVS DOMITIANVS, Imp. initio principatus sui non pauca satis praeclare constituit. Vt quaedam hic veluti per lancem saturam proferamus, ipse primus edixit, *ne mares castrarentur:* * Suet. Domit. Cap. *VII. vt probrosis feminis nec lecticae vsus, nec ius capiendi legata hereditatesque esset:* ibid. Cap. *VIII.* vt fiscales calumniae culumniantium poenis reprimerentur. Id. Cap. *IX. vt rei, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent, vniuersi discrimine liberarentur, nec repeterentur, nisi intra annum, eaque conditione, vt accusatori, qui caussam non teneret, exsilii poena esset:* Id ibid. *vt subcesiua veteribus possessoribus, tamquam vsucapta, per totam Italiam, redderentur:* Sueton. ibid. *vt, quae de feriis & abolitionibus SC. Turpilliano sancita sunt, ad seruos non pertinerent. l. 2. §. 1. ff.*

ff. de cuſt. & exh. reor. l. 16. ff. ad SC. Turpillian.

* Quamuis hoc a Domitiano non amore iuſtitiae atque aequitatis, ſed odio Titi, fratris, qui ſemiuiris huiusmodi magnopere delectabatur, conſtitutum eſſet: Xiphil. in Domit. p. 330. Philoſtr Vit. Apollon. Tyan. VI, 17. magno tamen omnium plauſu excepta eſt haec Domitiani ſanctio. Vt enim iam omittam laudes, quibus eam proſequuntur Martial. Epigr. VI, 2. IX, 7. & Ammian. Marcellin. XVIII, 4. eleganter eam ita deſcribit Papin. Statius Silu. III. 4.

Nunc frangere ſexum,
Atque hominem mutilare nefas, gauiſaque ſolos,
Quos genuit, natura videt.

At paullo poſt ſub Antoninis iam iterum mos inoleuerat, vt in prouinciis impune exſcinderentur mares, modo id fieret praeſcitu Praeſidum. Iuſtin. Martyr. Apol. II. p. 71. Hinc frequenter hoc ius in vſum reuocatum nouis conſtitutionibus Neruae, Hadriani, Antonini Pii, Conſtantini M. Iuſtiniani, Leonis Sapientis. Lindenbrog. ad Ammian. p. 150. edit. Gronou. vt facile adpareat, malo huic paene impares fuiſſe leges publicas.

 §. CXCV.

§. CXCV.

SCa sub Domitiano facta.

Conditum etiam sub Domitiano est SC. IVNIANVM, quo anno *V. C. DCCCXXXVI.* Domitiano Caesare X. & Ap. Iunio Sabino Coss. cautum, *vt, qui per domini & serui, aut patroni & liberti collusionem factum probasset, vt vel seruus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberque aut ingenuus pronunciaretur, is seruum quidem in potestate ac dominio suo; libertum autem in patronatu suo haberet. l. 1. ff. de collus. deteg. l. 2. C. eod. l. 8. ff. de in ius voc.* Sed vti haec constituens Domitianus adhuc principem egit: ita tyrannidem redolet SC. Asprenate & Laterano Coss. anno *V. C. DCCCXLVI.* factum, *quo omnes philosophi vrbe ac Italia exesse iussi sunt.* Gell. Noct. Attic. *XV.* 11.

§. CXCVI.

ICti sub Vespasianis: Caelius Sabinus.

Subiungimus more nostro IVRISCONSVLTOS, qui sub Vespasiano & successoribus potissimum floruerunt. Inter hos familiam duxit CAELIVS SABINVS, quem alii *Caecilium* perperam vocant. Is ab Othone, Imp. Cos. designa-

gnatus in Kal. Iulias anni ab *V. C. DCCC XXI.* eum honorem & volente victore Vitellio gessit. Tacit. Hist. *II*, 77. Plurimum tamen potuit sub Vespasiano, *l.* 2. *§. vlt. ff. de orig. iur.* eodem die auspicante imperium, quo ipse magistratum inierat. Scripsit librum DE EDICTO AEDILIVM CVRVLIVM, Gell. Noct. *IV*, 2. ex quo & illa quae Lib. *VII*, 4. de seruis pileatis venum prostantibus ex Caelio Sabino refert, decerpta videntur. Sabinianis eum adstipulatum, adeo nemo dubitat, vt potius ab hoc ipso demum Caelio Sabino Sabinianorum nomen ortum videatur. (§. CLXVI.)

§. CXCVII.

De CELSO, patre, nihil fere memoriae proditum est, quam quod in consilio DVCENNII VERI Cos. fuerit. *l.* 29. *ff. de legat.* 2. At quis fuerit ille Ducennius, plerique se scire fatentur cum ignarissimis. Et sane ne probabilis quidem videtur coniectura Antonii Augustini, qui de Nom. propr. Pandect. Cap. *III.* p. 259. C. Iuuentium Verum Cos. vel Guil. Grotii, qui de Vit. ICt. *II*, 2. L. Ceionium Commodum; vel denique A- *Celsus pater.*

braami Wielingii, qui in Iurispr. Reſtit. Adpend. p. 194. L. Ceionium Verum ſub eo nomine latitare exiſtimat. * Non magis, an ſcripſerit quidquam Celſus, hodie notum eſt, quia raro, & non niſi omiſſa libri inſcriptione, citatur in iure noſtro: ita tamen, vt eum e Proculi ſchola prodiiſſe, non obſcurum videatur ob *l. 20. ff. de legat. 2. l. 39. ff. mand.*

* Nos vero DVCENNIVM GEMINVM, qui anno V. C. DCCCIX ex Kal. Iul. cum Paullino Conſul. fuit, intelligendum eſſe, monuimus in Diſſert. de P. Iuuentio Celſo p. 10. Mentio eorum Coſſ. fit. apud Spon. in Miſcell. erud. Antiqu. p. 278.

§. CXCVIII.

Pagaſus. De PEGASO ICto nemo accuratius egit. Aegid. Menag. Amoenit. Iur. ciu. Cap. XVII. p. 88. ſequ. Fuit is trierarchi filius, & ex paternae liburnae paraſemo, quod pegaſus erat, nomen accepit: vt refert Scholiaſt. Iuuenal. ad Sat. IV. vbi addit, *eum iuris ſtudio tantam memoriae gloriam meruiſſe, vt* LIBER *vulgo, non homo diceretur.* Eumdem ait *omni honore functum, quum & prouinciis plurimis praefuerit, & vrbis curam adminiſtrarit.* Et ſa-

ſane de eius conſulatu teſtatur Iuſtinianus *§. 5. Inſt. de fideic. hered.* de praefectura vrbis Pomponius *l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.* & Iuuenal. Sat. *IV.* v. 76. ex quibus teſtimoniis patet, eum ſemel ſub Veſpaſiano, atque iterum ſub Domitiano eo honore functum eſſe.

§. CXCIX.

Proculeianos ab hoc eximio iuriscon- *Eius Schola & ſcripta.* ſulto PEGASIANORVM nomen adſumſiſſe, in vulgus notum eſt, idque innuere puto Scholiaſten Iuuenalis, dum addit: *Hinc eſt* PEGASIANVM *ſcilicet ius, quad iurisperitus fuerit.* * Ex libris eius, ſi quos ſcripſit, nihil in pandectas relatum eſt: at citatur tamen Pegaſus paſſim, & ita quidem, vt eum cum Labeone, Proculo, Nerua fere ſemper ſenſiſſe, ſuamque a Sabino ſeiunxiſſe ſententiam, ſatis adpareat. *l. 12. §. 3. ff. de inſtr. & inſtr. l. 7. §. 1. ff. de Senat. l. 30. pr. ff. de pecul. l. 27. fin. ff. de adqu. rer. dom. l. 2. §. 4. de his, qui not. infam. l. 115. §. 2. ff. de verb. ſignif.*

* Non praetermittenda hic ingenioſa, at mira admodum, Iac. Haſſaei ſententia, qui in Diatr. de Berytenſi ICtorum Academia

mia Cap. III. §. 5. Pegasi placita iam a Vespasiani temporibus beryti proponi solita, existimat, idque probat hoc loco Iuuenalis Sat. III, v. 117.

Ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonii delapsa est pinna caballi.

Quae poetae verba ille hac παραφράσει explicat: *In illa ripa, ad quam Gorgonii caballi pinna, id est Pegasiani iuris disciplina, quasi pinna Pegasi, delapsa est, quia ius ex placitis sectae Pegasianae ibi docebatur.* Sed loqui ibi poetam de Egnatio Celere, Beryti nato, res ipsa docet, caussamque aduersus virum doctissimum iam perorauit V. C. Godofridus Mascouius de Sect. Sabinian. & Procul. Cap. III. §. V. n. 2. p. 68. sequ.

§. CC.

Vrseius Ferox. His ipsis temporibus floruisse, anteriores tamen plerosque antecessisse, videtur VRSEIVS FEROX, cuius permagnam fuisse famam, vel ex eo colligas, quod eius libros notis illustrarunt C. Cassius Longinus & Saluius Iulianus. Citat ille Proculum, *l. 27. §. 1. ff. ad L. Aquill. l. 48. ff. de iure dot. l. 11. §. 2. ff. de aqu. & aqu. pluu. arc.* ipseque non modo a Iulia-

no

no, ſed a Caſſio etiam, citatur: ex eoque manifeſto conſequitur, vt ſub Nerone & Veſpaſianis floruerit. Proculeianorum ſua aetate accerrimus fuiſſe videtur, dignus adeo viſus, in quem ſtricturas conficerent duo ſcholae Sabinianae ornamenta, C. Caſſius & Iulianus.

§. CCI.

Fuſidius. FVFIDIVM, ignotum plerisque ICtum, primus ab obliuione vindicauit Iac. Cuiacius Obſ. I, 9. in eo tamen falſus, quod eum libera adhuc rep. floruiſſe exiſtimat, quum, teſte Guil. Grot. in Vit. ICt. II, 4. Veſpaſiano non fuerit anterior, quippe qui citet Atilicinum, quem Proculo σύγχρονον fuiſſe vidimus. (§. CLXXXVI.) Ceterum pauciſſimis Pandectarum locis mentio fit iſtius Fufidii, nimirum *l. 5. & l. 7 ff. de aur. & arg. l. 25. ff. de manum. vindict. l. 29. ff. de re iudic.* ex iisque adparet, eum libros QVAESTIONVM reliquiſſe.

§. CCII.

Plautius. Sed & PLAVTII magnum inter iurisconſultos nomen fuiſſe, vel ex eo patet, quod ad eius libros certatim notas

ſcri-

ſcripſerunt NERATIVS, IAVOLENVS, POMPONIVS & PAVLLVS. Quum vero ipſe Caſſium & Proculum laudet, *l.8.ff. de aur. & arg. leg. l. 43.ff. de condit. & dem.* & viciſſim laudetur a Neratio: *l.5.ff. de ſeru. praed. ruſt.* floruiſſe illum Veſpaſiani temporibus, ſatis conſtare arbitror.

§. CCIII.

Octauenus Sequitur OCTAVENVS, de quo nihil eſt, quod dicamus, niſi quod illi a Valente, Pomponio, Terentio Clemente, Marciano, Vlpiano, ſaepiſſime teſtimonium denuncietur, adeoque & ipſe ſub Veſpaſianis floruiſſe videatur Guil. Grotio de Vit. ICt. *II*, 5. Idem ſuſpicatur, eum quaedam AD EDICTVM, nec non AD LEGEM IVLIAM & PAPIAM, in quibus illuſtrandis tum ICtorum ingenia praecipue ſe exercebant, ſcripſiſſe. Quod poſterius ex *l.32.ff.qui & a quib. manum.* colligit, quamuis rem non adeo expeditam eſſe, iam obſeruauerim in Comment. ad L. Iul. & Pap. *I*, 1. 4. p. 15.

§. CCIV.

Valerius Denique VALERII SEVERI ſcripta

a

a Iuliano citantur, *l. 30. ff. de negot. gest.* Vnde illum ante Hadrianum vixisse, satis constat, & contra Bertrandum recte demonstrat Guil. Grot. de Vit. ICt. *II.* 5. in eo tamen, nisi ipsi fallimur, falsus, quod Hadrianum *l. 3. §. 2. ff. de testam.* ad hunc Valerium rescripsisse putat, quum ibi non Seuerus, sed Verus Valerius memoretur, & emendatio nominis nullius Codicis MSC. fide nitatur. Nec magis certum est, quod idem Grotius coniicit, Valerium hunc esse Seuerum illum, quocum Plinio iuniori intercesserit litterarum commercium, Epist. *III*, 6. 18. *IV*, 28. & passim alibi. Pluribus enim illis temporibus id cognomen commune fuisse, inter omnes constat. * *Seuerus.*

* Quin VALERII SEVERI complures passim memorantur, inter quos & milites & aliorum ordinum homines, apud Grut. Inscript. p. XLIX, 4. DLXVI, 6. DCCXLV, 6. & MLXXVII. vt facile pateat, hoc nomen tum fuisse frequentissimum, ac proinde periculosum esse, certi quid statuere de tot ὁμωνύμοις.

§. CCV.

Sed haec de Vespasiniorum temporibus. *Status iu-*

Quod

ris Rom. sub Nerua. Quod ad eorum ſucceſſorem, M. COCCEIVM NERVAM, Imp. ICtorum filium & nepotem, attinet, is, licet breue habuerit imperium, quaedam tamen ad locupletandam iurisprudentiam contulit. Nam & primus PRAETOREM FISCALEM, qui inter fiſcum & priuatos ius diceret, conſtituit, *l. 2. ſ. 32. ff. de orig. iur.* & militibus teſtamenta conditurís pleniſſimam indulgentiam dedit, * *l. 1. ff. de teſtam. milit.* & primus edicto vetuit, poſt quinquennium mortis de cuiusque ſtatu quaeri, *l. 4. princ. ff. ne de ſtatu def.* quin & primus ciuitatibus omnibus, quae ſub imperio Romano eſſent, legata relinqui permiſit. Vlp. Fragm. *XXIV*, 28. Legis quoque AGRARIAE, quam D. Nerua tulerit, mentio fit in *l. 1. ff. de term. mot.* quae procul dubio SC. tantum fuit. De ea vid. Vlr. Obrecht. de Legib. agrar. Cap. *V.*

* Vnde & illud ius promanauit, vt filiisfamilias militantibus, teſtamentum condere liceret de eo, quod in caſtris adquiſiuerint. Id quod & Traianus deinde confirmauit; Hadrianus vero vlterius produxit ad veteranos. *pr. Inſt. quib. non eſt perm. facere teſtam.*

CCVI.

§. CCVI.

Neruae ſucceſſit TRAIANVS, optimi Principis cognomen meritus. Is, vti ciuilitatis laudem in omnibus adfectauit: ita & de praecipuis rebus ad Senatum retulit. Argumento ſunt tot SCa, inter quae primum eſt RVBRIANVM, conditum anno *DCCCLIII.* Rubrio Gallo & Q. Caelio Hiſpone Coſſ. ex Kal. Iul. ſuffectis, quo cautum, *vt ſi hi, a quibus libertatem praeſtari oportet, euocati a Praetore, non adeſſent, nec vlla iuſta cauſſa impedirentur, Praetor vero, cauſſa cognita, libertatem deberi, pronunciaſſet, eorum ſtatus eodem iure ſeruaretur, ac ſi directo manumiſſi eſſent. l. 3. ſ. 3. ff. de legit. tut. l. 26. ſ. 7. ſequ. l. 28. l. 33. l. 36. ff. de fideic. libert.* Conf. Em. Merill. Obſ. *VI*, 24. *Nec non ſub Traiano. SC. Rubrianum.*

§. CCVII.

Paullo poſt prodiit SC. DASVMIANVM. Paullo poſt *Rubrianum* enim, & *Articuleianum*, illud factum eſſe, recte obſeruat ANT. AVGVSTIN. de Nom. propr. Pandect. Cap. *IV.* p. 325 Quum ergo & *Rrubrianum* & *Articuleianum* *Daſumianum.*

ſub

ſub Traiano Imp. conditum eſſe, certiſſimum ſit: ſane ne *Daſumianum* quidem multo poſterius eſſe poteſt. Eo cautum, *vt ſi ex iuſta etiam cauſſa abſit, qui fideicommiſſam libertatem debeat, & hoc pronunciatum fuerit, perinde libertas competeret, atque ſi, vt oportet, ex cauſſa fideicommiſſi manumiſſus eſſet.* Itemque, *vt quicumque fideicommiſſam libertatem ex quacumque cauſſa debere pronunciatus fuerit, & eum eoſue abeſſe contigerit, perinde habeatur, atque ſi, vt oportet, ex cauſſa fideicommiſſi manumiſſus eſſet. l. 36. & l. 51. ſ. 4. ff. de fideicomm. libert.* Merill. Obſ. VI, 24.

§. CCVIII.

Articuleianum & Lex Vectibulici.

SC. ARTICVLEIANO Traiano *IV.* & Sex. Articuleio Paeto Coſſ. anno *V.C. DCCCLI.* facto cautum eſt, *vt quacumque in prouincia libertas ſeruo relicta teſtamento fuerit, Praeſes eius prouinciae de ea cognoſceret, quamuis heres non ſit eius prouinciae. l. 51. ſ. 5. ff. de fideic. hered.* Procul dubio etiam SC. fuit illa LEX VECTIBVLICI, quae *libertis municipiorum iura ciuitatis conceſſit, l. vlt. C.*

C. de seru. reip. manum. & eorumdem temporum esse videtur. *

* Municipia olim seruos manumittere non poterant, quia actio legis per procuratorem non poterat explicari. *l. 123. pr. ff. de reg. iur. l. 3. C. de vindict. lib.* Postea concessum quidem est municipiis, vt seruos manumitterent: at manumissi ex lege Aelia Sentia non ciues erant, sed in libertate tantum morari dicebantur. Vlpian. Fragm. I, 12. Quum porro lex Iunia Norbana omnes, quos in libertate morari passa erat lex Aelia Sentia, Latinae conditionis esse iuberet: id etiam contigit libertis municipiorum, adeoque parum solida est V. C. Herm. Noordkerkii sententia, *legem* illam *Vectibulici* antiquiorem esse existimantis temporibus Tiberii in Disquis. de Leg. Petron. p. 98. Potius hanc legem, quocumque nomine adpellanda sit, latam esse oportet inter annum V. C. DCCLXXI. quo lata lex Iunia Norbana condita, & annum DCCCLXXXI, quo lex Vectibulici ad prouincias prolata est. Quum vero monstrum nominis sit illud VECTIBVLICI, anno vero V. C. DCLXIII. fasces tenuerit M. VETTIVS RVSTICVS BOLANVS Grut. Inscr. p. LXVI, 2. p. CXXVIII, 5. CLXIII, 7. non dubitamus legendum esse lex *Vectii Bolani.*

§. CCIX.

Ἀνώνυμον de actione subsidiaria aduersus magistratus.

Denique SCi, quo *actio subsidiaria aduersus magistratus municipales, tutorum nominatores, si administrationis tempore non fuerint soluendo, nec ex cautione fideiussoris solidum exigi possit, indemnitatis nomine introducta est*, mentio fit in constitutione Diocletiani & Maximiani Augg. *l.5. C. de magistr. conuen.*

§. CCX.

Rescripta & edicta Traiani.

Ast pleraque tamen TRAIANVS, non adhibito in consilium Senatu, RESCRIPTIS atque EDICTIS constituit. Et illorum quidem quam plurima memorantur in iure nostro: at maioris momenti sunt EDICTA, in primis *de iis, qui se ipsi detulerint, parte aliqua eorum, quae contra leges ceperint, donandis. l.13. pr. §.1. l.15. l.16. l.42. l.49. ff. de iure fisci l.5. §.10. ff. de his, quae vt indign.* Comment. ad L. Iul. & Pap. III, 10, 3. p. 446. Quod BENEFICIVM D. TRAIANI, vt in iure nostro vocatur, caput tantum esse videtur edicti seuerissimi, *quo delatorum calumnias compescuit.* Plin. Paneg. Cap. XXXIV. Praeterea & *de statera adulterina* quaedam edixit, *l. 6. §. 1. ff. de extraord. cognit.* nec

non

non *de pollicitationibus. l. 14. ff. de pollicit.*

§. CCXI.

Proximum est, vt IVRISCONSVLTOS, qui sub Nerua & Traiano potissimum floruerunt, recenseamus. Horum princeps, P. IVVENTIVS CELSVS, qui ex rationibus nostris anno *DCCCXX* natus, & artibus elegantioribus ac philosophia stoica probe excultus, iurisprudentiam a patre doctus est, *l. 20. ff. de legat. 3.* cuius exemplo & Proculi sectae sese addixit, Cuiac. Obs. VIII, 35. XXVII, 12. Mascou. de Sect. Sabin. & Procul. cap. III. §. 7. p. 75. quanquam veritatis, quam sectae, studiosior, aliquando a Labeone, Nerua, ipsoque patre dissensit, *l. 25. pr ff. de furt. l. 29. ff. de euict. l. 3. §. 6. ff. de cond. causs. dat.* ac Sabino & Cassio adsentiri non dubitauit. *l. 65. §. 3. ff. de legat. 3. l. 6. ff. de condict. ob turp. causs.*

ICti sub Nerua & Traiano: P. Iuuentius Celsus.

§. CCXII.

Cum Nerua, qui postea Imperator factus est, aliisque coniurauerat aduersus Domitianum, sed nominatus inter coniuratos, eo periculo se callide expediuit, Dio Cass. LXVII. p. 765. Philostr. Vit. Apollon.

Eius honores.

lon. Tyan. VII, 3. & postea summis honoribus functus est. Praeturam enim gessit anno *V. C. DCCCLIV*. Plin. Epist. VI, 5. consulatum primum nescio quo anno, posteriorem anno *V. C. DCCCLXXXI* collega Marcello: Noris. de Epoch. Syro-Maced. p. 498. quin & inter Hadriani amicos & consiliarios fuit, Spartian. Hadrian. Cap. XVIII. extremis eius annis, vt videtur, fato functus. * Vid. Diss. nostr. de P. Iuuentio Celso. p. 21.

* Habuit filium eiusdem nominis, *Promamagistrum* sub Antoninis, qui libello liberti cuiusdam Aug. petentis, vt coniugis & filii reliquias feretro fictili inferre liceret, III. Non. Nouembr. Antio & Opimiano Coss. ordinariis, Seuero & Sabiniano Coss. id est, anno V. C. DCCCC VII. subscripsit Grut. Inscript. p. DCVII. Perperam sane istud monimentum ad Iuuentium nostrum referunt Grot. de vit. ICt. II, 3. & Menag. Amoenit. iur. ciu. Cap. XX. p. 98. quum ille procul dubio tum iam pridem inter homines esse desiisset.

§. CCXIII.

Et scripta. Scripsit EPISTOLAS, quarum librum XI citat Vlpianus, *l. 3. ff. de minorib.* nec non QVAESTIONVM *libros*, saltim

XIX

XIX * *l. 1. ff. de reb. credit. l. 9. ſ. 2. ff. de hered. inſt. l. 19. ff. de aur. arg. leg.* & COMMENTARIOS, quorum liber VII laudatur *l. 19. ſ. 6. ff. de aur. arg.* denique, ex quo ſolo opere fragmenta quam plurima in Pandectas retulit Tribonianus, DIGESTORVM *libros* XXXIX. Quos enim Bern. Rutilius in Vit. ICt. Cap. LVIII. addit, INSTITVTIONVM *libros XX.* aeque ac *libri de* VSVCAPIONIBVS, quos Iuuentio noſtro tribuit Ian. Vinc. Grauina, tota antiquitas ignorauit, mirumque eſt, Grauinam ſcribere, Celſum in libris his *de vſucapionibus* crebram mentionem facere patris: quum in toto Pandectarum opere vix ſemel atque iterum Celſi patris mentio fiat.

* Quid fuerint libri QVAESTIONVM, quales etiam ab Africano, Maeciano, Scaeuola, Tertulliano, Papiniano, Calliſtrato & Paullo ſcriptos conſtat, eleganter docuerunt Iac. Cuiacius in Tract. ad Africanum, & Eu. Otto in Papiniano Cap. XII. p. 234. Nimirum quum aliquando occurrerent problemata iuris, publice tractata, ea editis quaeſtionum libris, publicabant ICti, rationesque, cur eae deciſiones placuerint, diligentius tra-

ctabant. Id quod optime ostendere videtur inscriptio QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM, quam libro suo praefixit Ceruidius Scaeuola.

§. CCXIV.

Neratius Priscus. Σύγχρονος Iuuentio Celso eiusque condiscipulus fuit NERATIVS PRISCVS, vir omnibus probatissimus, & doctrina eximius, Traianoque tam carus, vt non modo consiliis eius vteretur, *l. 5. ff. si a par. quis manum.* sed & ex multorum sententia non Hadrianum, sed Neratium, successorem relinquere constituerit, eique aliquando dixerit: *Commendo tibi prouincias, si quid mihi fatale acciderit.* Spartian. Hadrian. Cap. IV. Consul fuit, collega Annio Vero, *l. 6. ff. ad L. Corn. de sicar.* & postea inter Hadriani consiliarios locum habuit: Spartian. Hadr. Cap. XVIII. sub quo etiam decessisse illum opinamur.

§. CCXV.

Eius scripta. Ingenii monimenta reliquit REGVLARVM *libros XV.* MEMBRANARVM *libros VII.* RESPONSORVM *libros III.* qui soli in Indice Florentino memorantur. Sed praeter hos laudantur etiam *libri* EPISTOLARVM, *l. 12. §. 35.*

ff.

ff. de instr. vel instr. leg. libri ex PLAVTIO, *l. 5. ff. de seru. praed. rust.* libri de NVPTIIS apud Gell. Noct. Attic. IV, 4. Edidit etiam NOTAS AD FVLCINIVM, *l. 43. ff. de mort. causs. donat.* quemadmodum & ad ipsius NERATII opera IVLIVS PAVLVS Notarum libros IV scripsit. Ceterum & hunc cum Proculo fecisse, vel schola, ex qua prodiit, satis superque demonstrat. Vid. Mascou. de Sect. Sab. & Procul. III, 8. p. 76. sequ.

§. CCXVI.

T. ARISTONEM, ICtum eorumdem temporum, mirifice laudat Plin. Ep. I, 22. ex quo loco etiam eius aetatem cognoscimus. Fuit enim aequalis Neratio & Celso, quibuscum & litterarum commercium habuit *l. 19. §. 2. ff. locat. l. 3. pr. ff. quae res pign. vel hypoth. l. 29. §. 1. ff. de statu lib.* Vnde eum etiam accensent Proculeianis, quamuis id non adeo expeditum videatur. vid. *l. 19. ff. de hered inst.* Notauit AD CASSIVM, *l. 7. §. 3. l. 17. ff. de vsufr.* & AD SABINVM, *l. 6. ff. de vsu & habit. l. 3. §. 1. ff. de penu leg.* nec non AD LIBROS POSTERIORVM LABEONIS, *l. 17. §. vlt. ff. de hered. inst.* Librum — *T. Aristo.*

 quo-

quoque illius DE FVRTIS laudat Gell. Noct. XI, 18. & collectionem DECRETORVM FRONTINIANORVM* Pomponius *l. vlt ff. de adqu. vel amitt. possess.* An RESPONSA quoque & DIGESTA scripserit, quod ex *l. 8. §. 5. ff. si seru. vind. & l. 44. ff. sol. matrim.* colligunt, alii viderint.

* Videtur ille, siue FRONTINVS, siue FRONTO Praetor fuisse, qui in iurisdictione sua multa seuere ac prudenter decreuit: fortassis non diuersus a IVLIO FRONTONE, ad quem rescripsit Traianus *l. 5. ff. de poen.* vel a M. Cornelio Frontone, Consule anno V. C. DCCCLII. collega Traiano III. Cos. At fuere tum *Frontones* & *Frontini* plurimi quos recensuit Ant. Augustin. de Nom. propr. Pandect. *p. 272. 353. 361. 377. 379. 399.*

§. CCXVII.

Arrianus, Seruilius, Viuianus. Minus celebres ea aetate fuerunt ARRIANVS, SERVILIVS & VIVIANVS. Primum Guil. Grotius eumdem putat Arrianum, ad quem litteras dederit Plinius Epist. I, 2. II, 11. 12. IV, 8. & alibi passim. Sed id incertum est. Certius contra, eum scripsisse *libros de* INTERDICTIS, qui citantur *l. 11. ff. de hered. pet.*

Alter

Alter a ſolo Terentio Clemente laudatur, *l. 10. ff. de iure patr.* & ita quidem, vt Proculo poſteriorem fuiſſe pateat. Poſtremus, laudatus ſubinde a Scaeuola, Pomponio, Vlpiano & Paullo, ipſe Sabino, Caſſio, Proculo teſtimonium denunciat, & quaedam AD EDICTVM ſcripſiſſe videtur, ad quae deinde notas edidit Pomponius. *l. 17. ſ. 4. ff. commod.*

§. CCXVIII.

Tanto maioris famae fuit MINVCIVS NATALIS, cuius de aetate eo minus dubitare licet, quod ad eum reſcripſit Traianus, *l. 9. ff. de fer.* & ita quidem, vt eum tum Procoſ. fuiſſe adpareat, quippe cuius de officio ibi diſſerit Vlpianus. Firmant hanc coniecturam marmora apud Gruter. Inſcr. p. LIX, 8. & p. XLIX, 6. in quorum altero *Procos. Libyae*, in altero *Leg. Aug. pro Pr. prouinciae Moeſiae inferioris* adpellatur. Sabinianum ſe ſuo indicio prodit. *l. 61. ff. de rei vind. l. 22. ff. de reb. cred. l. 6. ſ. 4. ff. de act. emt.* Quid vero ſcripſerit, hodie fere neſcimus, niſi quod eius libros a SALVIO IVLIANO notis illuſtratos eſſe conſtat.

Minucius Natalis.

§. CCXIX.

Caluisius. CALVISII cuiusdam nomen ideo ICtorum catalogo inseruit Guil. Grot. de Vit. ICt. II, 5. quod Plinius Epist. V, 7. ei dedit negotium, Decurionum Comensium ordini indicandi, quid iustum sit circa legata reipublicae relicta. Sed quum id cuiuis etiam ex triuio mandare potuisset Plinius: ego Comensem illum ideo ICtum non dixerim, multo minus eum auctorem fecerim *actionis Caluisianae*, quam eidem tribuere non dubitat Grotius.

§. CCXX.

Laelius Felix. Meliore iure hic locum damus LAELIO FELICI, quem ad Hadriani tempora vitam produxisse, satis constat. *l. 3. ff. si pars hered. pet.* Scripsit AD MVCIVM, ex quo libro quaedam decerpsit Gell. Noct. Attic. XV, 27. Nec aliunde esse videntur, quae ab eo αὐτόπτῃ scripta dicuntur de muliere Alexandrina, quinque simul vtero gestante. * *d. l. 3. ff. si pars hered. pet.*

* Eamdem historiam referunt Caius, *l. 7. ff. de reb. dub.* Iulianus, *l. 36. ff. de solut.* Phlegon de Mirabil. Cap. XXIX. Iul. Capitolin. in Antonino Pio. Cap. IX. Sed

quum

quum non eaedem vbique circumſtantiae occurrant: conferendi omnino, qui ea de re ex inſtituto egerunt Rigalt. ad Tertullian. de anima Cap. XVII. p. 81. & Hannib. Fabrott. Exerc. Sel. II.

§. CCXXI.

Status iuris Rom. ſub Hadriano.

Progredimur ad HADRIANVM IMP. ſub quo nouam veluti faciem induiſſe iurisprudentiam, inter omnes conſtat. Sollicitus futuri iuuenis, quum Virgilianas ſortes conſuleret, ſors exiit illud Aen. VI. v. 809. ſequ.

Quis procul ille autem, ramis inſignis olivae,
Sacra ferens? Noſco crines, incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundabit.

Spartian. Hadrian. Cap. II. Quam ſortem probante euentu, Hadrianus in omnibus Numam imitari ſtuduit, vt obſeruat Aurelius Victor Schotti Cap. XIV. multoque accuratius, inſtituta Numae & Hadriani comparatione, docet Dodwell. Praelect. Cambden. VII, 6. p. 295. ſequ. Inprimis tamen illum Principem in eo imitatus eſt, quod LEGIBVS imbuit rempublicam,

ceu

ceu obſeruauit Latin. Pacat. Paneg. Cap. XI. Oroſ. VII, 13. Io. Sarisber. Nug. Curial. VIII, 19.

§. CCXXII.

Eius auſpiciis conditum edictum perpetuum

Primus ergo EDICTVM PERPETVVM condi iuſſit, quum ad ea vſque tempora ſingulis fere annis noua edicto capita Praetores adſtruxiſſent. * (§. LXVI.) Neque enim Antonino Pio ea laus debetur, ceu viſum eſt Paullo Diacono; neque Didio Iuliano, cui ex loco Aurelii Victoris male ſano illud tribuunt Garro *ad l.2. ff. vlt. de orig. iur.* & Hugo Grot. Flor. Sparſ. p. 87. ſed Hadriano, cuius auſpiciis vtiliſſimum hunc laborem ſuſcepiſſe Saluium Iulianum, teſtantur Eutrop. VIII, 9. & ipſe Iuſtinianus Conſt. Graec. de Confirm. Digeſt. §. 18.

* Duraſſe hunc morem vſque ad Hadriani tempora, probari poteſt luculento loco *l. 6. ff. de cuſtod. & exhib. reor.* vbi mentio fit *edicti ab Antonino Pio, quum poruinciae Aſiae praeeſſet, propoſiti.* Aſiam autem eum multo ante, quam ab Hadriano adoptatus eſſet, rexiſſe ſub Hadriano, patet ex Iul. Capitolin. in Antonino Pio Cap. III.

§. CCXXIII.

§. CCXXIII.

Auctor est Eusebius Chron. n. MMCXLVII, illo Abraami anno in lucem prodiisse Edictum perpetuum, qui annus inchoandus est a Kal. Octobr. anni ab *V. C. DCCC LXXXIV.* erae Dionysiacae *CXXX*. Quum vero sequente demum anno Hadrianus celebrarit Quidecennalia, quae vt plurimum illustrium legum promulgatione celebriora reddi solebant: Ant. Pagi Diss. Hypat Part. II. Cap. IV. §. III. p. 123. genuina publicati edicti perpetui era incidere videtur in annum *V. C. DCCC LXXXIV.* erae Dionys. *CXXXI*. quo Ser. Octauius Laenas Pontianus & M. Anton. Rufinus fasces tenuerunt. Ant. Pagi Critic. Baron. Tomo I. p. 127. Tillemont Hist. Imp. Tom. II. Part. II. p. 408. *Quo anno?*

* Errant igitur tum Baronius, qui edictum anno Christi CXXXIV. conditum putat, tum Ren. Bottereau qui in Hadr. Legisl. p. 189. eram illam figit in anno CXXXII. Nos Eusebium eo tutius sequimur, quo certius constat, illum antiquiora pleraque descripsisse ex Iulio Africano: hunc vero chronologiam suam perduxisse ad annum erae Dionys. CCXXI. adeoque ne centum quidem annis abfuisse ab illis Hadriani temporibus. Vid. Georg. Syncell. p. 212.

§. CCXXIV.

§. CCXXIV.

Auctor eius Saluius Iulianus.

Edictum perpetuum composuisse SALVIVM IVLIANVM, non modo Eusebius & Eutropius obseruant, verum etiam Iustinianus *l. 2. §. 18. C. de vet. iur. enucl.* & *l. 10. C. de condict. indeb.* vbi *summae auctoritatis homo & edicti perpetui ordinator* adpellatur. Quum vero tum & alii floruerint ICti eximii & Iuliano nihilo deteriores: ratio cur huic potissimum id negotii datum, vix alia esse potest, quam quod tum praeturam gesserit. Id quod & inde colligitur, quod tralatitiis edictis addidit nouum *de coniungendis cum emancipato liberis eius:* quod non nisi a Praetore fieri potuisse, nouimus.

§. CCXXV.

Iuliani opera in quo constiterit?

Quamuis vero in eo potissimum constiterit Iuliani opera, vt ius, *quod varie inconditeque a Praetoribus promebatur*, IN ORDINEM COMPONERET, Aurel. Victor. Schotti Cap. XIX. ORDINARET, *l. 10. C. de cond. indeb.* COLLIGERET, * *l. 22. §. 18. C. de vet. iur. enucl.* certissimum tamen est, eumdem non modo quaedam adiecisse, veluti edictum de coniungendis cum emancipato liberis eius, *l. 3. ff.*

3 ff. d. t. ſed & omiſiſſe, quae ab vſu receſſerant, e. g. edictum de fluminibus retandis, apud Gell. Noct. XI, 17. quaedam denique immutaſſe, & ad ſaeculi mores inflexiſſe, vti adparet ex *l. 1. ſ. 1. ff. commod. l. 1. ff. quod met. cauſſ.* quin etiam quaedam Sabinianorum placita illi inſeruiſſe, & Proculeianorum hoc modo exploſiſſe ſententias. *l. 1. ſ. 1. ff. de iure fiſci.*

* Talia veterum Praetorum edicta permulta tum exſtabant in bibliotheca Vlpia, in qua integrum volumen reperit euoluitque Gellius, ceu ipſe teſtatur Noct. Attic. XI, 17. Bibliotheca iſta, collecta a Traiano, & legum, SCorum, edictorum, aliorumque huiusmodi monimentorum collectionibus refertiſſima, initio in templo Traiani ſtetit, ac poſtea in thermas Diocletianeas translata eſt, vbi ſe illa vſum eſſe, teſtatur Vopiſcus in vit. Taciti Cap. VIII. & in Aurelian. Cap. VIII.

§. CCXXVI.

Ceterum hoc edictum adeo ſe probauit & Hadriano & Senatui, vt ille ORATIONE, quae in Conſt. Graeca de Digeſt. Confirm. §. 18. λόγος τῦ Ἀδριανῦ, ἐν κοινῷ διεξελθὼν ἐπι τῆς πρεσβυτέρης Ῥώμης, *oratio Hadriani in Senatu veteris Romae*

reci-

recitata adpellatur; * hic SCo in principis ſententiam facto, illud ratum haberet. Quod SC. poſtea ipſi edicto loco praefationis praemiſſum eſt, ceu luculenter patet ex *l. 102. pr. ff. de regul. iur.* vbi conferendus Iacob. Gothofredus in Comment. p. 449.

* Ex hac oratione integram ſententiam ſeruauit Iuſtinianus *d. §. 18.* quae & in *l. 12. ff. de legib.* repetitur: *vt ſi quid, praeter id, quod iam ordinatum eſt, emerſerit, conueniens ſit eos, qui in magiſtratu ſint, conari decidere, & remedium imponere ſecundum eorum, quae iam ordinata ſunt, conſequentiam.*

§. CCXXVII.

Eius auctoritas.

Ex eo ergo tempore edictum illud, a IVLIANO conditum, pro norma iurisdictionis immutabili ac perpetua fuit, dictumque eſt κατ' ἐξοχὴν EDICTVM, *l. 1. l. 2. C. de ſucceſſ. edict.* EDICTVM PERPETVVM, Gell. Noct. X, 15. Eutrop. VIII, 9. ΔΙΗΝΕΚΕΣ ΔΙΑΤΑΓΜΑ, Paean. Metaphr. Eutrop. ibid. EDICTI FORMA, *l. 8. ff. de calumn.* EDICTI PERPETVI AVCTORITAS, *l. 3. C. de edend.* IVRIS AVCTORITAS, *l. 10. C. Greg. de pact.* EDICTI PERPETVI CVRSVS, *l. 6. C.*

qui

qui admitt. ad bon. poss. FORMA CONSTITVTA, *l. 1. C. de inoff. test.* FORMA IVRIS, *l. 1. C. si tut. vel curat. interu.* FORMA IVRISDICTIONIS. *l. 5. §. 1. ff. vt legat. seu fideic. causs.* IVRISDICTIONIS TENOR, *l. 5. C. de his, quae vi metusu. causs.* PERPETVA IVRISDICTIO, *l. 2. C. de restit. milit.* INDVBITATVM IVS, *l. 2. C. Gregor. de pact. & transact.* IVRIS RATIO, *l. 7. C. Gregor. eod.* IVS PERPETVVM. *l. 5. C. de adpellat.*

§. CCXXVIII.

Quin tantum abest, vt magistratibus postea noui quid edictis licuerit sancire, vt ipsi principes passim profiteantur, non esse cuiquam permittendum, iurisdictionis mutare formam, vel iuri publico derogare: *l. 13. C. de testam.* absurdum esse, edicti perpetui negligi formam: *l. 2. C. de condit. insert.* eo nomine frustra supplicari: *l. 2. C. de success. edict.* & temere desiderari, poenam, edicto perpetuo praestitutam, vlli concedi: *l. 2. C. de in ius voc.* frustra denique remedium a principe quaeri, vbi supplicem ratio iuris impugnet. *l. 1. C. Hermog. de calumn.* Si quid etiam ex edicto perpetuo fuerat decretum: ne adpellatio- *Edicto ne principes quidem derogare audebant.*

ni quidem locum fuiſſe, docet Paullus *l. 7. §. 1. ff. de adpell. recip. vel non.* Donell. *Comment. Iur. XXVIII, 6.* p. 437.

§. CCXXIX.

Edictum prouinciale idem cum vrbano.

Memoratur etiam in iure noſtro EDICTVM PROVINCIALE perpetuum, quod Dodwellus ab eodem Hadriano; Ez. Spanhemius ſub Antonino quodam conditum putat. Sed illud vere cum Praetorio vnum idemque fuit, idque nomen tantum tulit in prouinciis, quum in vrbe *vrbanum* adpellaretur. * Sane & ſeriem vtriusque, ac ordinem eumdem fuiſſe, obſeruauit Iac. Gothofredus, & Caius, qui ad Edictum prouinciale luculentum commentarium ſcripſit, promiſcue vtitur formulis: AIT PRAETOR, & AIT PROCOS. *l. 4. ff. quod quisqu. iur. l. 1. §. 2. ff. quod cuiusc. vniuerſ. nom.*

* Sane quum iam libera rep. Praeſides prouinciarum edictum vrbanum in plerisque ſequerentur: (§. LXXVI.) quid opus erat ſingulari edicto prouinciali ſub Imperatoribus? Accedit, quod Ariſtid. Orat. in Romam p. 395. quum paullo ante laudaſſet θεσμοὺς καὶ τάξεις ἀφύκτους ἅπασιν ἐπισαθέντας, *leges ac ordinem perpetuum omnibus praeſcriptas,* id eſt, edictum

perpe-

perpetuum, statim pergit, non opus esse amplius, quibus vtantur singuli, leges recensere, quandoquidem Romani in vrbe ac prouinciis νόμους κοινοὺς, leges communes, dederint omnibus. Si ergo in vrbe & prouinciis fuere νόμοι κοινοὶ leges communes: sane edictum prouinciale diuersum non fuit ab vrbano. De Edicto enim perpetuo loqui Aristidem, ipse fatetur Ezech. Spanhem. Orb. Rom. II, 7. p. 285. Vnde recte Ant. Pagi Critic. Baron. Tom. I. p. 127 scribit, *edicto perpetuo omnes ciuitates Romanae vrbis leges sequi iussas esse.*

§. CCXXX.

Qui edictum perpetuum restituere conati sint?

Quum vero praeclarus iste iurispru dentiae Romanae fundus temporum iniuria iam pridem perierit: de restituendo illo iam inde a renatis litteris iamdudum cogitarunt viri doctissimi, quamuis non eodem omnes successu. EGVINARIVS BARO in Manuali iuris, nec ordinis vllam rationem habuit, & iudice Iac. Gothofredo in Man. Iur. p. 47. *sciens saepe ea edicta confinxit, quae nunquam fuerunt, sed quae sunt ex ICtorum placitis, moribus Romanorum, antiquis legibus, vel etiam nouis principum constitutionibus.* Maiore religione

 edi-

edicti perpetui reliquias collegit GVIL. RANCHINVS, quamuis & ipse non ad genuinum, sed Iustiniani ordinem, capita Edicti disposuerit.

§. CCXXXI.

Qui eius seriem & ordinem ostenderint.

Quandoquidem tamen non parum interest, ordinem seriemque edicti non ignorare: primum HVB. GIPHANIVS in *Oeconomia iuris* illum non infeliciter ostendit: deinde & PETR. PITENIVS, IC. Florentinus librum scripsit *de oeconomia edicti perpetui*, laudatum a V. C. Io. Alb. Fabricio Biblioth. Lat. Vol. III. p. 788. at mihi quidem nondum visum. Denique omnium industriam superauit IAC. GOTHOFREDVS, edita in *Quatuor Fontibus iur. ciu.* tabula, quam *Seriem edicti perpetui* inscripsit. *

* At hi omnes tamen spicilegium satis magnum reliquerunt aliorum industriae. Sane nos quoque in schedis habemus EDICTVM PERPETVVM, multorum annorum opus, in quo tria potissimum nobis proposuimus, *primum* vt historiam edictorum atque edicti perpetui daremus quam accuratissimam: *deinde* vt ipsum edictum non modo ordini atque integritati suae restitueremus, sed & omnia probationibus luculentissimis firmaremus: *deni-*

denique, vt fragmenta veterum ICtorum, qui edictum perpetuum commentariis illustrarant, suis quaeque locis aptaremus, eoque modo genuinum eorum sensum hoc modo in clarissima luce collocaremus. Vtinam demum colophonem imponere liceret laborioso operi! Sperarem enim, iurisprudentiae ex his vigiliis meis haut parum lucis accessurum. Sed haec Deo curae erunt!

§. CCXXXII.

Quam mutationem edictum in ICtorum studiis attulerit?

Non praetermittendum videtur, edictum perpetuum in ipso etiam iuris studio mutationem non exiguam attulisse. Quum enim antea a XII Tabulis auspicarentur iurisprudentiam: iam eam ab edicto exordiebantur. Iac. Gothofred. Man. Iur. p. 9. Deinde, quum antea in libris Sabini aliorumque ICtorum illustrandis potissimum exercerent ingenium, & in componendis scriptis ipsum quoque Sabinianorum ordinem potissimum seruarent: ex eo tempore ad Edictum plerique scripserunt, & ad illius ordinem opera sua tantum non omnia composuerunt. Hub. Giphan. Oecon. Iur. p. 120. Eu. Otto in Papiniano XII, 6. p. 259.

§. CCXXXIII.

An & Aedilitium edictum perpetuum exstiterit?

Iisdem temporibus & edictum AEDILITIVM perpetuum conditum esse suspicatus est Henr. Dodwellus, sed sine auctore, nec res admodum verosimilis est. Primo enim tum adeo euiluerat Aedilium Cur. iurisdictio, vt de eorum officio nec in Digestis titulus singularis reperiatur, nec quisquam veterum ICtorum librum scripserit, quum tamen de multo minorum magistratuum officio eorum libri exstiterint. Inter Papiniani quidem opera fuit liber ἀστυνομικῶν: sed eum ad Aediles, non curules, sed municipales pertinuisse, nouimus. Vid. Eu. Otto in Papinian. XII, 5. p. 253. sequ. Deinde certum est, edicti Aedilitii capita quaedam translata esse in edictum perpetuum. *Const. Tanta §. 5. de conf. Digest.* Cui vero bono id factum esset: si singulare exstitisset Edictum Aedilitium perpetuum? *

* Pleraque nimirum antiqui Edicti Aedilitii capita, quorum quaedam supra ex antiquitatis parietinis eruimus, (§. LXXII. sequ.) ab vsu tum recesserant; tria vero, quae adhuc in foro obseruabantur, tanti non visa sunt Hadriano Imp. vt inde nouum systema vel edictum Aedilitium con-

contexeretur, sed ea inseri iussit edicto vrbano. Hinc quamuis CAIVS, VLPIANVS & PAVLLVS binos quisque libros ad *Edictum Aedilium Curulium* scripserint: non alia tamen, quam quae in Pandectis memorantur, capita interpretati sunt, vt facile adpareat, eos non tam ad singulare aliquod edictum Aedilitium perpetuum, quam ad titulum Edicti perpetui de edicto Aedilitio scripsisse. Eu. Otto de Tutel. viar. III, 2. p. 429.

§. CCXXXIV.

Sed & in eo noui quid inuexit Hadriani imperium, quod primus ille fisco aduocatum dedit, Spart. Hadr. Cap. XX. ICtisque pristinam illam libertatem de iure respondendi restituit. Qua de re Pomponius: *Optimus*, inquit *princeps, Hadrianus, quum ab eo viri Praetorii peterent, vt sibi liceret respondere, rescripsit iis, hoc non* PETI *sed* PRAESTARI *solere*, * *& ideo, si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet. l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.*

Aduocatio Fisci & ius respondendi ICtis restitutum

* Ex quo simul patet, iam paullo ante Hadrianum exoleuisse paullatim illud Augusti institutum. At ex interuallo tamen illud post Hadrianum in vsum reuocatum esse, patet exemplo Innocentii ICti,

apud Eunap. in vit. Chrysanth. p. 286. qui respondendi facultatem a Principibus impetrauerat. Seueri Imp. temporibus id fieri coepisse suspicatur Dodwell. Praelect. Cambden. IX, 11. p. 355.

§. CCXXXV.

Quid circa constitutiones innouatum?

Frequentius quoque, quam antea, CONSTITVTIONIBVS nouis iura dabat Hadrianus. Quum enim antea pleraque principum edicta vel SCis firmarentur, veluti edictum Augusti de intercessionibus mulierum, *l. 2. ff. de SC. Vellei.* Tiberii de iis, qui sibi legatum ipsi adscripserint, Petr. Fab. Semestr. I, 25. p. 143. Claudii de nauiculariis apud Sueton. Claud. Cap. XVIII. XIX. *l. 3. §. 3. ff. de iur. immun. l. 3. ff. de vacat. & excus. mun. iunct. l. 3. §. 8. ff. de incend. ruin. naufr.* vel ea, quae Senatus iam censuerat, Principum edictis publicarentur: Tacit. Annal. VI, 12. Maran. Paratitl. p. 114 Ant. Dadin. Alteserr. Recit. Quot. p. 182. V. C. Petr. Burmann. de vectigal. Pop. Rom. Cap. VI. p. 113. ab Hadriani temporibus Principes, nullo adhibito colore, quidquid collibitum, edictis constituere coeperunt. *

* Id quod Hadrianus faciebat eo frequentius, quo rarius toto imperii tempore Romae

mae erat, quippe per vniuersum terrarum orbem paene semper peregrinatus. Hinc & rarius consulebat Senatum, adeo vt paullatim inualesceret paroemia: ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅπȣ πότ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. *Roma est, vbi imperator est.* Herodian. I, 6.

§. CCXXXVI.

Itaque Hadrianus, non modo, vt verbis Tertulliani Apol. IV. vtamur, *quotidie totam illam veterem ac squallentem siluam legum nouis principalium rescriptorum & edictorum securibus rustabat caedebatque*, sed & varia noua constituebat iura, veluti de adquisitione thesauri, Spart. Hadrian. Cap. XVIII. *§. 39. Inst. de rer. diuis.* de bonis damnatorum, Spart. ib. *l. 2. l. 6. l. 7. §. 2. ff. de bon. damn.* de alimentis legatis, *l. 14. ff. de alim. vel cib. leg.* Em. Merill. Obs. III, 29. de tempore luctus, Gell. Noct. III, 16. de beneficio diuisionis inter fideiussores, * *l. 26. sequ. ff. de fideiuss.* de muliere vulgari a milite non instituenda, *l. 41. §. 1. ff. de testam. milit.* de iis, qui testari aliquem prohibuerint, *l. 1. pr. ff. si quis aliqu. test. prob.* de possessione ventri danda, *l. 3. §. 3. ff. de ventr. in poss. mitt.* de funeribus

Noua iura constitutionibus Hadriani inuecta.

& sepulcris, *l. 3. §. 5. ff. de sepulcr. viol. l. 37. §. 1. ff. de religios.* de poena perpetui carceris, *l. 35. ff. de poen.* de iis qui spadones vel thlibias faciunt, *l. 4. §. 2. l. 5. ff. ad L. Cornel. de sicar.* de parricidiis, *l. 9. pr. ff. ad L. Pomp. de parricid.* de termino moto, *l. 2. ff. de term. moto*, aliisque, quae accurate exsequutus est, Ren. Bottereau in *Hadr. Legislatore.*

* Hoc ius epistola D. Hadriani inuectum esse, satis constat. §. 4. *Inst. de fideiuss. l. 26. ff. eod. l. vlt. C. de const. pec.* At vix prodierat illa Epistola, quum in edictum perpetuum referretur. Paull. Rec. Sent. I, 20, 1. Vnde manifesto errat Iac. Cuiac. Not. prior. ad tit. Inst. de SC. Tert. dum beneficii diuisionis auctorem facit Antoninum Pium. Nec ex *l. 49. §. 1. ff. de fideiuss.* id colligi potest, vbi Antoninus Pius hoc ius non constituit, sed tantum certo casui adplicat.

§. CCXXXVII.

Nec non decretis & edictis eiusdem.

Ita & DECRETORVM Hadriani passim fit mentio: *l. 28. ff. de inoffic. test. l. 23. §. 2. ff. de liber. causs.* & interloquutiones eiusdem plures complectitur elegans DOSITHEI, Grammatici, libellus *Sententiarum & Epistolarum*, primum a Melch. Gol-

Goldasto editus, ac deinde ab Ant. Schultingio Iurisprudentiae veteri anteiust p. 855. sequ. insertus. EDICTA denique notanda complura, veluti illud, quod singulari constitutione aboleuit Iustinianus, *l. 3. C. de edict. D. Hadr. toll.* de quo accuratius Cuiac. in Paratitl. C. h. t. nec non de direptione nauium, *l. 7. ff. de incend. ruin. naufr.* & de poena eorum, qui relaxati, vel ante tempus redierint, vel insula excesserint, vel deportati euaserint. * *l. 28. §. 13. ff. de poen.* denique de lauacris masculorum & feminarum separandis. Spartian. in Hadr. Cap. XVIII.

* Edictum hoc prodiisse anno V. C. DCCCLXX. T. Vipsanio & Aproniano Coss. occasione Crassi Frugi, qui insula, in qua exsulabat, excesserat, ac ideo captis fuerat damnatus, elegans est coniectura Ren. Bottereau in Hadr. Legislat. p. 138.

§. CCXXXVIII.

Senatusconsulta sub Hadriano facta.

Neque tamen nulla sub Hadriano condita sunt SENATVSCONSVLTA. Vt enim iam non dicam de illo, quo anno *V. C. DCCCLXXXV.* Edictum perpetuum confirmatum diximus: (§. CCXXVI.) passim commemorantur & alia, veluti factum

anno

anno *V. C. DCCCLXXIX* Neratio Prisco & Annio Vero Coss. de eo, qui seruum castrandum dederit: *l. 6. ff. ad L. Cornel. de sicar.* itemque alia de agnoscendo partu, *l. 3. §. 1. ff. de agnosc. & al. lib.* & de legatis & fideicommissis ciuitati relictis: Vlp. Fragm. XXIV, 28. quod vltimum non diuersum ab Aproniano: Schulting. Iurisp. vet. anteiustin. p. 635. porro de fideicommisso seruis cum libertate relicto: *l. 83. ff. de hered. inst.* de adpellatione a Senatu non recipienda: *l. 1. §. 2. ff. a quib. adpell. non lic.* de parte dimidia iis ex beneficio Traiani relinquenda, qui se ipsos detulissent. *l. 15. §. 1. ff. de iure fisc.*

§. CCXXXIX.

Alia celeberrima. Sed celeberrima omnium sunt duo SCa anno *V. C. DCCCLXXXI.* P. Iuuentio Celso & Iulio Balbo Coss. facta, quorum alterum, de fructibus hereditatis & pecunia ex hereditate redacta, integrum etiamnum superest, * *l. 20. §. 6. sequ. l. 25. ff. de hered. petit.* alterum iisdem Coss. conditum, quo LEX VECTIBVLICI, de qua supra, ad prouincias prolata est, memoratur *l. vlt. C. de seru. reip. manum.* Nec praetermittendum SCum, quo vxoris ciuis

uis Romanae partus ciuis declaratur, Vlp. Fragm. III, 3. nec non TERTVLLIANVM, quo mater ingenua trium, libertina quatuor liberorum ius habens, ad bona liberorum ab intestato admittitur. Id enim sub Hadriano conditum esse docemur *§. 2. Inst. de SC. Tertull.* Cuiacii vero dissentientis sententiam excussimus in Antiqu. Rom. III, 3, 3. p. 25.

* Quantiuis pretii est hoc SC. ex quo adparet, quae tum eorum forma Hadriano fuerit. Sed quaedam tamen ibi in mendo cubare videntur, in primis titulus imperatoris, quem iam emendauit Petr. Pithoeus Aduers. II, 15. Libelli quoque seu orationis, huic SC. praemissae, pars quaedam superest in *l. 22. l. 40. ff. de hered. petit.* Denique notandum, IVNII RVSTICI, cuius distracta hereditas huic SC. occasionem dedit, stemma genealogicum dedisse Reines. Epist. ad Rupert. XXXIV. p. 216.

§. CCXL.

ICti, qui tum floruerunt: Priscus Iauolenus.

Progredimur ad IVRISCONSVLTOS illorum temporum, inter quos PRISCVS IAVOLENVS, Coelii Sabini successor, adeoque & ipse Sabinianus, Hadriani tempora videtur attigisse. * Non modo

do ille formato Saluio Iuliano, ſed & geſtis honoribus celebritatem conſequutus eſt, quippe qui & Africam Procoſ.& alias prouincias rexit. *l. 5. ff. de manum. vind.* Extrema aetate illum dubiae ſanitatis fuiſſe, ſcribit Plin. Epiſt. VI, 15. quamuis Iauoleno, vti videtur, paullo iniquior. Scripſit EX CASSIO *libros XV.* EPISTOLARVM *libros XIV.* EX PLAVTIO *libros V.* EX POSTERIORIBVS LABEONIS libros, eorumque EPITOMEN, ex quibus fere omnibus fragmenta quamplurima in Digeſtis occurrunt.

* Quin ad extremam ſenectutem eum perueniſſe oporteret, ſi verum eſſet, quod ſcribit Iul. Capitolin. in Antonin. Pio, Cp. XII. Antoninum Pium Iauoleni conſiliis vſum eſſe. Sed, qui iam extremis Traiani temporibus deſipere viſus eſt Plinio, an eum ad D. Pii tempora vitam produxiſſe veroſimile eſt? At videtur in mendo cubare locus, in quo Salmaſ. ad Hiſt. Aug. p. 72. in Codicibus MSSC reperiſſe ſe teſtatur *Diabolenus*.

§. CCXLI.

Saluius Iulianus. De SALVIO IVLIANO, celeberrimo horum temporum ICto, nuper diſſertatione ſingulari egimus. Fuit is non Medio-

diolanensis, Insuber, sed Hadrumetinus, Afer, Spartian. Iulian. Cap. I. Floruit sub Hadriano, Pio & Diuis Fratribus, a quibus AMICVS vocatur, *l. 17. ff. de iure patron.* & Sabinianorum suo tempore familiam duxit. Functus est praetura, & bis consulatu, immo & praefectura vrbana, *l. 5. ff. de manum. vind.* ac praeterea in omnium principum, sub quibus floruit, consilio fuit. Spart. Hadr. Cap. XVIII. Iul. Capitol. in Antonin. Pio. Cap. XII. *l. 17. ff. de iure patron.* Posteros eius, inter quos & Didius Iulianus Aug. in tabula genealogica post Casaubonum & Reinesium nos quoque exhibuimus in Diss. de Saluio Iuliano p. 8.

§. CCXLII.

Praeter edictum perpetuum, cuius illum conditorem fuisse diximus paullo ante, scripsit *libros XC.* DIGESTORVM,* ad Edicti perpetui seriem compositos, & notis illustratos ab VLPIO MARCELLO, CERVIDIO SCAEVOLA, IVLIO PAVLLO & IVNIO MAVRICIANO, quibus AFRICANVM, licet parum accurate, addit Guil. Grot. de vit. ICtor. II, 6. Deinde *libros* AD MI- *Eius scripta.*

NI-

NICIVM *sex*, itemque ad VRSEIVM FEROCEM *libros IV.* & *librum singularem* de AMBIGVITATIBVS, Stoicorum exemplo ſcriptum, quorum multos exſtitiſſe libros *περὶ τῶν ἀπόρων*, & *περὶ ἀμφιβολιῶν*, patet ex Diog. Laert. VII, 178. & 193. Quos Io. Bertrandus addit, *libros* AD EDICTVM, & DE DOTALI PRAEDIO, eos numquam exſtitiſſe, probauimus in Diſſ. de Saluio Iuliano p. 23.

* Equidem librum XCIV laudari videmus *in l. 32. ff. de legib.* Sed in Florentino Codice ſcriptum fuiſſe LXXXIV. quartumque X ab aliena manu acceſſiſſe, *αὐτόπτης* teſtatur V. C. Laur. Theodor. Gronou. de Emend. Pandect. Cap. XXV. p. 70. 71. Errant ergo, qui cum Haloandro, Bertrando & Angelo Politiano, opus hoc libris XCIX vel C. conſtitiſſe, putant, quod & Hub. Giphan. in Oeconom. Iur. p. 128 ſuſpicatum eſſe, animaduerto.

§. CCXLIII.

Aburnius Valens & Tuſcianus. ABVRNIVS VALENS, Iuliano *σύγχρονος* cum illo in Antonini Pii conſilio fuit. Iul. Capitolin. Cap. XII. ex quo loco ſimul colligas, eum Iuliano aetate paullo iuniorem fuiſſe, quippe cuius etiam auctori-

ctoritate vtitur. *l. 33. ff. de minor.* Scripſit *libros VII* FIDEICOMMISSORVM, totidemque ſaltim, ſi non plures, ACTIONVM. Sabinianis eum accenſet V. C. Godofr. Maſcou. de Sect. Sabin. & Procul. II, 5, 3. p. 53. Neſcio an his addam TVSCIANVM, cuius præter Pomponium *l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.* nemo meminit, vt adeo de eo omnia incertiſſima ſint. *

* Refertur a Pomponio inter Iauoleni ſucceſſores: adeoque Sabinianus fuit. Quum vero nec Tuſciani, ICti, nec librorum eius, vſquam fiat mentio: fuerunt, qui nomen ei mutarent, & pro *Tuſciano* modo *Fuſcianum* modo *Maecianum*, modo *Viuianum* dicerent. At probum eſt nomen, & vere Romanum, ceu patet ex *l. 18. mand.* Si quid tamen mutandum videretur, latere hic crederem *Fuſcium Fuſcianum*, Numidiae Legatum, ad quem reſcribit Antoninus Imp. *l. 7. ff. de legat. praeſt.*

§. CCXLIV.

Progredimur ad ANTONINVM IMP. ſub quo eadem omnia, quae ſub Hadriano, obſeruamus. RESCRIPTA eius tum in Pandectis, tum in Codice, tam multa laudantur, vt eorum recenſum inſtituere, videatur difficillimum. DECRE- *Status iuris Rom. ſub Antonino Pio. Eius conſtitutiones.*

Q TO-

TORVM exempla sunt in *l. 3. ff. de his quae in test. del. l. 11. pr. ff. de legat. 2. l. 35. ff. ad SC. Trebell. l. 1. §. 3. ff. de lib. exhib.* quamuis primum vel ideo prae ceteris notabile sit, quod ipsa sententiae verba ibi seruata, animaduertimus. Denique nec EDICTA desunt, quippe quorum mentio fit *l. 6. §. 2. ff. ad L. Iul. pecul. & l. 11. ff. de munerib. & hon.*

§. CCXLV.

An & SCa sub eo condita?

Qumque *imperatorium fastigium eum ad summam ciuilitatem deduxisse*, testetur Iul. Capitolin. Cap. VI. non dubitamus, quin de rebus praecipuis etiam Senatum consuluerit, adeoque & SCa sub eo sint condita, quamuis eorum hodie vix exstet memoria. TERTVLLIANVM enim & APRONIANVM, quae his temporibus facta putat Cuiacius, ad Hadriani potius tempora referenda esse docuimus. * Quid? quod rarius iam Imperatores hoc modo iura noua condere coeperint, facilius id per edicta fieri, experientia iam pridem edocti.

* Multa, quae Hadriano debent originem, eo obtentu Antonino Pio tribuit Cuiacius, quod & Pius adoptionis iure Hadriani nomen tulerit. Id quod quidem verissimum

est,

est, quum in vetustis monimentis saepe legamus; IMP. CAES. D. HADRIANI F. T. AELIVS HADRIANVS ANTONINVS PIVS AVG. Reines Inscr. II, 9. 10. 11. 75. III, 21. seq. At non reperies tamen exemplum, vbi simplex Hadriani nomen Antonino detur. Et quis discreuisset patrem & filium, si vterque sine addito HADRIANVS esset adpellatus?

§. CCXLVI.

Iura noua ab eo inuecta.

Ceterum *multa Antoninum de iure sanxisse*, obseruat Iul. Capitolin. in Ant. Pio Cap. XII. eoque refert, *quod intra vrbes sepeliri mortuos vetuerit*: quod tamen iam Hadrianum sanxisse, diximus. *l. 3. §. 5. ff. de sepulcr. viol.* Adde, quod primus *adoptionem impuberum certis conditionibus concessit*: Vlp. Fragm. VIII, 5. *§. 3. Inst. l. 17. ff. l. 7. C. de adopt.* quod *actionem subsidiariam*, ab Hadriano aduersus magistratus datam, *& aduersus eorum heredes institui permisit*: *l. 6. ff. de magistr. conuen. l. 2. C. eod.* quod *inter personas coniunctas donationem & sine mancipatione valere voluit*; quam alioquin lex Cincia requirebat: *l. 4. C. Theod. de donat.* Paull. Recept. Sent. IV, 1, 11. Brummer. de Lege Cinc. XV, 2. sequ. p. 251. sequ. quod *donato-*

rem vltra vetuit conueniri, quam quantum facere poſſet: l. 20. 41. ſ. vlt. ff. de re iud. l. 28. ff. de regul. iur. denique, quod donationes inter virum & vxorem, conſtante matrimonio, honoris cauſſa factas ſuſtinuerit: * *l. 42. ff. de donat. int. vir. & vx.* & huius generis alia.

* Quamuis enim alioquin SC. de donationibus inter virum & vxorem prohibendis demum ſub Antonino Caracalla factum ſit: *l. 3. ff. de donat. int. vir. & vxor.* Caii tamen, cuius hoc fragmentum eſt, aetas vix patitur, vt & in *d. l. 42.* Antoninum Caracallam intelligamus. Et ſane ante Antoninum etiam Caracallam iam irritas viſas eſſe huiusmodi donationes, ex ipſa huius Principis oratione patet *l. 3. pr. ff. eod.*

§. CCXLVII.

Eius reſcriptum de lege Rhodia.

Vnum addo, Antonini Pii temporibus LEGEM RHODIAM in orbe Romano tantae auctoritatis fuiſſe, vt Eudaemoni Nicomedienſi reſcripſerit Princeps: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης· τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μή τις ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. *Ego quidem mundi dominus: lex autem maris. Lege id Rhodia, quae de legibus*

gibus nauticis praescripta est, iudicetur, quatenus nulla nostrarum legum aduersatur: l. 9. ff. ad L. Rhod. de iact. ad quam legem multa egregia scripserunt cum alii, tum triumuiri eximii, FRANC. BALDVINVS, IAC. GOTHOFREDVS & CORN. VAN BYNKERSHOEK.

§. CCXLVIII.

Exstat etiamnum eo nomine Graeca legum nauticarum farrago, cui praemittitur praefatio, vel *auctoritas*, vt ibi vocatur, ex eaque Iac. Gothofredus *Diss. de imper. mar. VIII. p. 45.* probare nititur, legem Rhodiam primum sub Claudio, anno *V. C. DCCCV.* Q. Aterio Antonino & D. Iunio Silano Coss. receptam, deinde a Vespasiano, Traiano, Antonino Pio, quin & postea a Pertinace & Seuero, Imperatoribus firmatam esse. Enimuero vti ipsam illam congeriem, quae legum Rhodiarum nomine superbit, esurientis cuiusdam Graeculi commentum esse, praeclare demonstrauit V. A. Corn. van Bynkersh. ad l. ἀξίωσις Cap. V. ita & nullius fidei est praemissa illi *auctoritas.* *

Quid de legibus Rhodiis hodie exstantibus sit sentiendum?

* Primum historia repugnat. Auctoritatis enim illius auctor legem Rhodiam rece-

 ptam

ptam ait ſub Ti. Claudio δημαρχικῆς ἐξȣσίας λβ. *Tribuniciae pot. anno* XXXII. At ſiue Tiberium Imp. intelligas, ſub eo nullum reperimus Antoninum Cos. ſiue Claudium, hic vix ad annum Trib. pot. XIV. aetatem produxit. Deinde manifeſto patet auctoritatem illam exſcripſiſſe ipſam *l. 9. ff. ad L. Rhod.* adeo vt ne gloſſema quidem ibi adſutum: τȣ̃το δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγȣςος ἔκρινεν, *Hoc ipſum & D. Auguſtus conſtituit*, omiſerit. Fucum ergo fecit viris doctis, quisquis hanc *Auctoritatem Legis Rhodiae* primus in lucem protruſit, & mirum eſt, Iac. Gothofredum, cui alioquin naſus Rhinocerotis erat, haec non olfeciſſe.

§. CCXLIX.

Lex Rhodia non tota a Romanis recepta, ſed caput de iactu.

Quidquid ergo de hac LEGE RHODIA pro certo adfirmari poteſt, huc redit. Rhodii, *populus nauticus*, vti Floro II, 7. vocatur, &, teſte Euſebio in Chron. n. MC. *diu maris dominus*, de rebus nauticis tulerant leges aequiſſimas, adeo vt & Cicero pro L. Manil. XVIII. eas mirifice collaudet, & Strabo XIV. p. 448. maxime admiretur θαυμαςὴν εὐνομίαν περὶ τὰ ναυτικὰ, *admirandam legum optimarum circa rem nauticam conſtitutionem.* Ex his

Rho-

Rhodiorum legibus non omnia, ſed caput tantum de iactu, receperant Romani, & quidem non demum a Claudii temporibus, ſed iam ante Auguſti imperium, ſiquidem non modo Ofilius, Labeo & Sabinus, verum etiam Ser. Sulpitius, qui libertati patriae ſuperſtes non fuit, ſecundum legem Rhodiam de iactu reſponderunt, eamque ſuo more illuſtrarunt. *l.* 2. *pr. ſ.* 3. *l.* 4. *pr.* & *ſ.* 1. *ff. ad L. Rhod. de iactu.*

§. CCL.

Status iuris sub DD. Fratribus & Marco Antonino.

Ab Antonini Pii exceſſu primum MARCVS & LVCIVS, Caeſares, qui in iure noſtro *Diui fratres* adpellantur, poſtea ſuperſtes MARCVS AVRELIVS ANTONINVS, vulgo Philoſophus, ſolus, ac demum idem cum COMMODO filio imperauit. Hoc quoque tempore innumerae prodierunt conſtitutiones, in Pandectis aeque ac Codice ſuperſtites, quas elegantibus Diſſertationibus illuſtrauit vir clariſſimus, cui ego in cathedra Franequerana ſucceſſi, IO. ORTVINVS WESTENBERGIVS. Nos, quae tum in iurisprudentia nouata ſunt, more noſtro paucis conſectabimur.

§. CCLI.

Orationes vel SCa DD. Fratrum & Marci Antonini.

Primum ergo multa hi quoque Imperatores SCis, vel ORATIONIBVS ſuis conſtituerunt. Exſtitit enim DD. Fratrum oratio, qua & tutor, cum inquiſitione datus, ſatisdare iubebatur, qui vnus adminiſtrare vellet. *l. 19. §. 1. ff. de teſtam. tut.* Celebrantur etiam D. MARCI orationes de feriis & dilationibus, *l. 1. §. 2. l. 7. ff. de fer.* Iul. Capitolin. Cap. X. de transactione ſuper alimentis, *l. 8. ff. de transact.* Iul. Capitolin. ibid. de fugitiuis etiam per Caeſaris, ſenatorum & paganorum praedia inueſtigandis, *l. 3. ff. de fugit.* de quatuor menſium vſuris ſocio ſoluendis, qui ceſſantibus ſociis inſulam reſtituit, *l. 52. §. 10. ff. pro ſoc.* de Senatoris filia, libertino nupta, *l. 16. ff. de rit. nupt.* de libertinis libertinorum tutoribus, *l. 1. §. 4. ff. de excuſ. l. 44. pr. ff. eod.* Iul. Capitolin. Cap. XI. de teſtamento eius, qui damnatus prouocauit. *l. 6. §. 9. de iniuſt. rupt.*

§. CCLII.

Alia Marci Antonini & Commodi SCa.

Eiusdem MARCI ſunt orationes & SCA de tacita hypotheca eius, qui ad reficiendas aedes credidit. *l. 1. ff. in quib. cauſſ. pign.* de quaeſtione ſtatus, morte finienda,

l. 1.

l. 1. §. 3. ff. ne de statu defunct. de collusione intra quinquennium detecta, *l. 2. pr. §. 4. ff. de collus. deteg.* Iul. Capitolin. in Marco Cap. X. de confessis & iudicatis, *l. 56. ff. de re iud. l. 6. §. 2. ff. de confess.* de expilatoribus hereditatum, *l. 1. ff. expil. hered.* de fatali interponendae adpellationis, *l. 1. §. 7. ff. quand. adpell.* Quin & MARCI & COMMODI orationes passim occurrunt, veluti de nuptiis Senatorum * *l. 16. ff. de spons.* & de pupilla vxore a tutore non ducenda, *l. 20. & l. 60. ff. de rit. nupt.* Omnium celeberrima tamen sunt SCa, duo, quorum altero SC Apronianum (§. CCXXXVIII.) ad collegia etiam prolatum, *l. 20. ff. de reb. dub.* altero ORPHITIANO liberi ad maternam hereditatem admissi sunt. *l. 1. & l. pen. ff de SC. Tert. & Orphit.* Iul. Capitolin. Cap. XI. Conditum illud anno *V. C. DCCCCXXX.* Vettio Rufo & Cornelio Scipione Orphito Coss. Noris. Epist. Cons. p. 462. praemissaeque Marci & Commodi orationis meminit Vlpian. Fragm. XXVI, 7.

* In lege 20 inscriptio ita se habet: PAVLLVS *libro singulari ad orationem D. Seueri & Commodi.* Sed haec nihili esse, fa-

cile vnusquisque animaduertit. Numquam enim Commodus cum Seuero imperauit, ſed cum Marco Antonino, patre, cuius hic nomen reponendum eſſe, recte obſeruat Ant. Auguſtin. de Nom. propr. Pand. p. 289. Et ſane illud habet etiam inſcriptio *l. 60. ff. de rit. nupt.*

§. CCLIII.

Noua a Marco Antonino reperta.

Quamuis vero a Iulio Capitolino Cap. XI. ſit obſeruatum, Marcum Imp. *ius magis vetus reſtituiſſe, quam nouum feciſſe*; plurima tamen etiam noua ab eo profecta ſcimus, veluti quod PRAETOREM TVTELAREM primus fecit: *§. 3. Inſt. de Attil. tut.* Iul. Capit. Cap. X. Ioſ. Caſtalio Var. Lect. VI, 4. quod quum antea non niſi ex lege Laetoria, vel propter laſciuiam vel propter dementiam, curatores darentur, omnes adultos curatores accipere iuſſerit, non redditis cauſſis: Iul. Capit. Cap. X. (Elem. ad ord. Inſt. §. CCLXXI. ſequ.) quod calumniis quadruplatorum interceſſit, adpoſita falſis delatoribus nota: Iul. Capitol. Cap. XI. quod viceſimam hereditatum temperauit. Iul. Capitol. ibid. & quae ſunt huius generis alia.

§. CCLIV.

Status iu-

Peſſimis principibus adnumerandus

M.

M. ANTONINVS COMMODVS, quaedam nihilominus ad locupletandam iurisprudentiam contulisse legitur. RESCRIPTA enim eius citantur *l. 10 ff. de in litem iur. l. 2. ff. de SC. Silan. l 6. ff. si cui plus quam per leg. Falc. l. 31. ff. de iur. fisci.* DECRETI mentio fit *l. 26. ff. de probat. & praes.* EDICTORVM denique *l. 6. §. 1. ff. de agnosc. & al. lib. l. 6. ff. de excus.* Notum quoque SC. Iuncianum, sub eodem Imperatore factum anno *DCCCCXXXV.* Aemilio Iunco & Iulio Seuero Coss. de fideicommissariis libertatibus, de quo *l. 28. §. 4. l. 51. §. 8. ff. de fideic. libert.*

ris Rom. sub Commodo Imp.

§. CCLV.

Occiso Commodo HELVIVS PERTINAX, & huic mox nefarie obtruncato DIDIVS IVLIANVS, Saluii Iuliani pronepos, (*§ CCXXXXI.*) successit. Vtrique ergo in tam breui imperio vix licuit multa de iure constituere. Memorantur tamen quaedam HELVII PERTINACIS CONSTITVTIONES de fideicommissariis libertatibus, occupata a fisco hereditate, dandis, *l. 12. §. 2. ff. de fideic. libert.* nec non Graeca de immunitate ob XVI. filiorum numerum, aliasque caussas

Nec non sub Helu. Pertinace & Didio Iuliano, Impp.

con-

concedenda, *l.5.ʃ.2.& ʃ.13.ff.de iur. immunit.* Exſtant etiam in Codice eius conſtitutiones de filio, qui ſe patremf. mentiens mutuam pecuniam ſumſit, *l. 1. C. de SC. Maced.* & de ſeruo oppignorato poſtea herede neceſſario inſtituto. *l. 2. C. de neceſſ. ſeru. hered. inſtit.* Denique & ORATIONIS D. PERTINACIS de teſtamentis mentionem fieri videmus *ʃ. 7. 8. Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Iul. Capitolin. in Pertin. Cap. VII. DIDII IVLIANI, quamuis iuris conſultiſſimi Principis, nihil quod ſciam in iure occurrit, niſi quod ei reſcripſiſſe dicitur D. Marcus *l. 20. ʃ. 9. ff. qui teſt. fac. poſſ.*

§. CCLVI.

ICti qui ſub Antoninis huc vsque floruerunt: Sex. Caecilius Africanus.

Nec omittendi hic IVRISCONSVLTI, qui ſub Antoninis ad haec vſque tempora artem noſtram illuſtrarunt, quorum veluti agmen ducit SEX CAECILIVS AFRICANVS. Eumdem enim cum Africano eſſe illum *Sex Caecilium* qui *l. 3. ʃ. 4. ff. de agnoſc. & al. lib.* memoratur, & quem Gellius Noct. Att. XI, 15. cum Phauorino de XII Tabulis diſputantem inducit, contra Ant. Auguſtinum, Labittum, Menagium oſtenderunt Cuiac. Tract. I. in Afric.

Afric. init. Obſ. VII, 2. & Bern. Henr. Reinold. ad l. 23. ff. de reg. iur. p. 9. ſequ. Fuit Iuliano σύγχρονος, & poſtea ſub Antoninis floruit. Sane eum ante Seueri & Antonini tempora vixiſſe, ex *l. 109. ff. de legat. 1.* acute collegit Iac. Cuiac. Recit. ad African. Tract. I. Sabinianum eum fuiſſe, & ſubtiliſſimum quidem eius ſectae, nemo negauerit, at apud eumdem Iuliani auctoritatem ſine ratione valuiſſe, vti olim apud Pythagoraeos Pythagorae, quod eidem Cuiacio, Menagio & Guil. Grotio viſum eſt, nullo idoneo argumento probatur. Vid. Maſcou. de Sect. IV, 3. p. 81. Scripſit *libros nouem* QVAESTIONVM * & fortaſſis *libros* ſaltim XX EPISTOLARVM, quas laudari videmus *l. 39. ff. de Legat. I.*

* Tam ſubtiliter vbique diſputat Africanus, vt iam olim in prouerbium iuerit: *Africani lex eſt, id eſt, difficilis.* At dignos ſe vindice nodos illos exiſtimauit ὁ πάνυ CVIACIVS, qui ſcriptis in illa fragmenta Recitationibus doctiſſimis, omnium ante & poſt ſe induſtriam ſuperauit.

§. CCLVII.

Minus celebres ſunt TERENTIVS CLE- *Terentius*

Clemens, Vinidius Verus, Iun. Maurician. Tarunt. Paternus, Papir. Iustus.

CLEMENS, discipulus Iuliani, quem ipse suum vocat, *l. 6. ff. de vulg. & pupill. subst.* auctorque *librorum XX* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM, ex quibus plura fragmenta in Pandectis supersunt: VINIDIVS VERVS, inter Antonini Pii consiliarios, Iul. Capitol. in Pio Cap. XII. a Maeciano, Vlpiano & Paullo aliquoties, sed non expresso libri titulo, laudatus: *l. 32. §. 4. ff. ad L. Falcid. l. 7. §. 18. ff. de pact. l. 2. ff. si ex nox. causs. ag.* IVNIVS MAVRICIANVS, qui ipse aetatem suam indicauit perspicue, *l. 57. ff. de legat.* 2. auctorque fuit librorum sex ad LEGEM IVLIAM & PAPIAM & DE POENIS saltim duorum. *l. 3. ff. de edendo.* TARVNTENVS PATERNVS, qui Commodo imperante Praefectus praetorio occubuit, Lamprid. in Commodo Cap. IV. relictis libris IV. de RE MILITARI. Denique PAPIRIVS IVSTVS, collector librorum XX. CONSTITVTIONVM, ex quibus fragmenta pleraque ostendunt, auctorem sub Marco Antonino & Commodo scripsisse. *l. 60. ff. de pact.*

§. CCLVIII.

§. CCLVIII.

SEX. POMPONII non duo, sed v- *Sex. Pomponius.* nus fuisse videtur, * qui non modo a Iuliano laudatur, *l. 6. §. 6. 7. 8. ff. de negot. gest. l. 63. §. 9. ff. pro soc.* sed & ipse Iulianum & Valentem laudat, *l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.* adeoque his σύγχρονος, aeque vitam saltim ad Diuorum fratrum tempora produxit, quippe quum Antoninum Pium Diuum vocet. *l. pen. ff. de pollicit.* Interiorem philosophiam redolet diuisio corporum *l. 30. pr. ff. de vsurp. & vsuc.* Cuiac. Obs. XV, 33. Guil. Forner. Select. II, 17. alioquin eum alii ICtis erciscundis adnumerant; Mascou. de Sect. VIII, 4. p. 130. alii Proculeianis, veluti Chr. Otto a Boeckelen de diuers. famil. vet. ICt. Cap. VI.

* Duos fuisse SEX. POMPONIOS, primus suspicatus est Aut. Augustin. de Nom. propr. Pand. p. 92. quem deinde & plures alii sequuti sunt: quamuis non aliud eius sententiae fundamentum sit, quam quod in *l. 41. ff. de hered. inst.* ipse Pomponius alium citare Pomponium videatur & in *l. 32. ff. de legat. 1.* legamus. *Quod ita verum esse, tam Sextus, quam Pomponius, negant:* Sed vti in posteriore lege SEXTVS ille alius esse potest ICtus, qui sub-

ſubinde laudatur *l. 44. pr ff. ſolut. matr.* l. 30. §. 6. ff. *de adquir. hered. l. 1. §. 27. ff. de SC. Silan.* ita admodum dubium eſt, an *l. 41 ff. de hered inſt.* ſit Pomponii, ac non potius Iuliani, & liber XII variarum lectionum Pomponii tantum in margine notatus fuerit. Vid. Cl. Reinoldi Orat. de Pompon. p. 12 ſequ.

§. CCLIX.

Eius ſcripta.

Permulta ſcripſit ICtus hic doctiſſimus, vt vere inter πολυγράφας referri poſſit. In primis memorantur ENCHIRIDII tum *liber ſingularis, l. 2. ff. de orig. iur. l. 2. ff. de iuſtit. & iur. l. 239. ff. de verb. ſign.* tum *libri duo. l. 5. ff. de gradib. & adfin. l. 13. ff. de tutel. l. 107. ff. de ſolut. & liberat.* EPISTOLARVM *libri XX.* FIDEICOMMISSORVM *libri V.* LECTIONVM AD Q. MVCIVM *libri XXXIX.* AD PLAVTIVM *libri VII.* REGVLARVM *liber ſingularis*, AD SABINVM *libri XXXV.* SENATVSCONSVLTORVM *libri V.* VARIARVM LECTIONVM *libri non XV.* vt eſt in Indice Florentino, ſed ſaltim vltra XL. *l. 8. §. 6. ff. ſi ſeru. vind.* DIGESTORVM *libri V.* DE STIPVLATIONIBVS *libri VIII.* & AD EDICTVM denique *libri LXXXIII.* ex quibus omnibus

bus fragmenta plurima in Pandectis supersunt.

§. CCLX.

CAIVS, ICtus elegantissimus, vulgo GAIVS, sub M. Antonino certissime vixit, quippe quem *sacratissimum Principem* suum vocat, *l. 9. ff. ad SC. Tertull.* * An vero ad Antonini Caracallae peruenerit tempora, quod Iac. Raeuardo Coniect. III, 19. & nuper V. C. Franc. Car. Conradi in Act. Erud. Lips. *MDCCXXVII.* mense Febr. visum est, in medio relinquimus. Hic quoque ICtis erciscundis accensetur a Mascouio de Sect. Cap. VIII. §. 3. p. 127. & modestiam sane eius satis superque demonstrant scripta egregia, quorum quum plurima sint, merito Lectorem remittimus ad Indicem Florentinum & Menagii Amoen. Cap. XLIII. id modo obseruantes eum quaedam scripsisse, de quibus alioquin pauca exstabant aliorum ICtorum volumina, veluti DOTALITIORVM *librum singularem* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libros II.* AD EDICTVM PROVINCIALE *libros XXXII.* AD LEGES XII. TABVLARVM *libros VI.* & similia. INSTITV- *Caius.*

TIONVM, quas Tribonianus in componendis institutionibus Iustinianeis praecipue sequutus est, fragmenta exstare bene longa, sed ab ANIANO passim interpolata, nemo ignorat.

* Quum Iustinianus Imp. ter CAIVM vocet *suum*: *§. 6. prooem.* §. *5. Inst. de publ. iud.* & *Const. omnem* §. *1. ad Antecess.* collegerunt quidam, Caium non modo Christianum fuisse, sed & Iustiniano σύγχρονον. Ant. Vacc. *ad prooem. Dig.* §. *6.* Hotom. *ad* §. *6. prooem. Inst.* Sed id aeque falsum, quam quod Marcilius in *d.* §. *6.* scribit, eum Diocletiani tempora attigisse. Nihil sane Christianum praeferunt Caii fragmenta; de tempore etiam, quo vixit, res certissima est. Denique Tribonianus illum suum vocare potuit, quod eius operibus inprimis vsus sit familiariter in conscribendis Institutionibus. Vid. Eu. Otto. Praefat. Thes. Iur. Tom. I.

§. CCLXI.

L. Volusius Maecianus. L. VOLVSIVS MAECIANVS, quem sub Antonino Pio in primis & DD. Fratribus floruisse, & in eorum principum consilio fuisse, ex Iul. Capitol. in Pio Cap. XII. & *l. 42. l. 47. ff. de fideic. libert. l. 17. ff. de iur. patron.* patet. Marcum praeterea Anto-

Antoninum Imp. ad iurisprudentiam instituit, Iul. Capit. in Marco Cap. III. vnde viri docti apud Antonin. εἰς ἑαυτὸν I, 6. pro Μαρκιανοῦ legendum monent Μαικιανοῦ. Menag. Amoen. Iur. Cap. V. p. 31. sub quo eum, Alexandriae Iuridicum, in Cassiano tumultu periisse, auctor est Volcatius Gallic. in Auid. Cass. Cap. VII. Sabinianus fuit, & Iuliani adsecla, scripsitque FIDEICOMMISSORVM seu QVAESTIONVM DE FIDEICOMMISSIS libros XVI. Menag. Amoen. Iur. Ciu. Cap. V. PVBLICORVM *libros XIV.* a quibus diuersum fuisse librum AD LEGEM RHODIAM suspicamur, (quamuis aliud visum Iac. Gothofredo de imperio mar. Cap. II. Vid. Bynkershoek ad L. 9. de leg. Rhod. Cap. I.) ac denique libellum DE ASSE, a Io. Fridr. Gronouio post librum de Pecunia Veterum & Io. Graeuio Thes. Ant. Rom. Tomo XI. editum, quem iuris studiosis maxime commendat Iac. Cuiac. in *l. 21. §. 2. ff. de ann. legat.*

§. CCLXII.

Proximus est Q. CERVIDIVS SCAEVOLA, *auctor ICtorum prudentissimus, l. 3. C. Theod. de testam.* & Marco Antoni- *Q. Ceruidius Scaeuola.*

R 2 nio

no a consiliis, Iul.Capitol. in MarcoCap.II. qui vel eo maxime sibi insignem laudem peperit, quodSeuerumImp.&Papinianum ICtum instituit. Iul. Capitol. in Caracalla Cap. VIII. Miscellionibus vel erciscundis eum adnumerat Mascou.Cap.VIII,5.quippe adeo fluctuantem, vt Bertrando *Proculeianus*; Ottoni a Boekeln de Famil. ICt. Cap.V. *Sabinianus* videatur. Notum quoque est illum apud quosdam etiam obscuritatis, & variationis, quin & προσωποληψίας caussa male audire. * Scripsit DIGESTORVM *libros XL.* & quidem post excessum Marci Antonini Imp. vt ex *l. 39. ff. de leg. 3.* obseruauit Ger. Noodt de Foen. & vsur. III, 6. p. 244. DE QVAESTIONE FAMILIAE *librum singularem*, QVAESTIONVM *libros XX.* QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM *librum singularem*, REGVLARVM *libros IV.* RESPONSORVM *libros VI*, in quibus eum saepe repetere, quae iam in Quaestionibus dixerat, obseruat Cuiac. Obs. XII, 10. ΟΡΩΝ *librum singularem*, ac denique Notas ad IVLIANVM & MARCELLVM.

* In *lege* enim *14. ff. de transact.* eum non satis ingenuitatis laudem seruasse, & in amici gratiam a iure recessisse, statuit V. C. Ger. Noodt. Probabil. II, 2. p. 36. & de Pact. & Transact. Cap. XXII. p. 546. Variationes quoque eiusdem notant Cuiac. Obs. IV, 1. Merill. Obs. I, 9. & idem Noodt. Obs. II, 18. vbi & stilum eius abruptum & hiulcum, ac proinde maxime obscurum notari videmus, de quo etiam conqueruntur Guil. Budaeus Adnot. ad Pandect. p. 76. sequ. Francisc. Duaren. Disp. Anniuersar. I, 50. Petr. de Toullieu in Diss. de anantapodotis in iure occurrentibus & Eu. Otto in Papinian. XI, 2. p. 212. sequ. Sed vt de stilō Scaeuolae facile transegerim: ita reliqua, quae Scaeuolae exprobrantur, iam ab aliis satis profligata sunt.

§. CCLXIII.

Superest VLPIVS MARCELLVS, vir toga sagoque clarissimus, quippe quem non tantum in consilio Antonini Pii fuisse, (Iul. Capit. in Pio Cap. XII.) sed & in Britannia bellum prospere gessisse, nouimus. Dio. LXXII. Floruit non modo sub Pio, sed & sub DD. fratribus, necnon sub Marco Antonino, *l. 19. ff. de testam. tut.* immo & sub Commodo, quemadmodum ex *Vlpius Marcellus.*

loco illo Dionis patet. Proculeianorum suo tempore fuit acerrimus, Merill. Obs. I, 28. VII, 18. Mascou. de Sect. V, 4. p. 90, vt pro insigni veritatis argumento sit Vlpiano aliisque, si Iuliano consentiat Marcellus. Cuiac. Obs. XIV, 35. Menag. Amoenit. Iur. Cap. XXIV. Praeter NOTAS ad IVLIANVM, & POMPONIVM scripsit DIGESTORVM *libros XXXI.* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM *libros VI*, DE OFFICIO PRAESIDIS *librum singularem*, DE OFFICIO COS. *libros saltim V.* PVBLICORVM *libros II.* & RESPONSORVM *librum singularem.*

§. CCLXIV.

Status iuris ciuilis sub Seuero Imp.

Redimus ad Imperatores Romanos, inter quos, obtruncato Didio Iuliano, SEPTIMIVS SEVERVS imperium arripuit, princeps non solum Graecis Latinisque litteris eruditissimus, sed & iuris non imperitus, & hinc fisci aduocatus ante imperium delectus. Spartian. in Seuero Cap. I, & II. Praeterea vsus consiliis ICti eminentissimi, Papiniani, iura constituit aequitatis, moderationis atque clemen-

mentiae plenissima, vt ab Aurelio Victore *legum conditor longe aequabilium* adpelletur. Eu. Otto Papinian. XIV, 3. Odio tamen decessoris, *Didii Iuliani*, eum *Saluii Iuliani decreta iussisse aboleri, neque obtinuisse* tamen, refert Spartian. ibid. Cap. XVII. Id quod de Edicto Iuliani perpetuo intelligendum esse arbitramur. *

* Sunt quidem, qui intelligunt decreta Didii Iuliani, Imp. qui & ipse Saluium se cognominabat. Thomas. Naeu. Iurispr. anteiust. p. 85. Sed de Saluio Iuliano ICto loqui Spartianum, non de Didio Imp. patet ex Aurelio Victore, qui eamdem historiam de *Saluii scriptis* refert. Quid vero Seueri referebat, Saluii Iuliani opera iuridica aboleri? Et cur tam aspero Principi dicto minus audiens fuisset senatus, si nihil aliud iussisset, quam aut Saluii Iuliani scripta, aut Didii Iuliani decreta & acta aboleri, quum illa non pertinerent ad rempublicam, haec ipse Senatus, Didio Iuliano hoste iudicato, iam damnasset? Verosimillimum ergo est, Seuerum ex odio Iulianorum, edictum perpetuum voluisse abolere, obnitente tamen senatu, ob insignem edicti istius praestantiam.

§. CCLXV.

Noua eius instituta. Inter Seueri instituta fuit, quod Praefecturam vrbi, data ad Fabium Chilonem epistola, ad summam potentiam euexit: *l. 1. ff. de offic. praef. vrb. l. 8. §. 5. ff. de poen. l. 6. §. 1. ff. de interd. & releg.* quod oratione sua, id est SCo, anno *V. C. DCCCC XLVIII.* Q. Flauio Tertullo & Flauio Clemente Coss. res eorum, qui sub tutela vel cura sunt, immobiles sine decreto alienari vel supponi vetuit: *l. 1. §. 1. ff. de reb. eor. qui sub tut.* quod Legem Iuliam de adulteriis in vsum reuocauit: Dio Cass. Lib. LXXVI. quod quaedam circa legem Papiam mutauit: Tert. Apol. Cap. IV. quod cum Antonino filio donationes inter coniuges SCo anno *DCCCCLIX. M.* Nummio Albino & Fuluio Aemiliano Coss. prohibuit, *l. 32. pr. ff. de don. inter vir. & vx.* & quae sunt huius generis alia. Recensum enim tot constitutionum, quae in Pandectis aeque ac Codice passim occurrunt, instituere, non patitur chartae angustia.

§. CCLXVI.

Status iu- Qui exstincto patre, & Geta fratre occi-

se

so, solus imperauit, ANTONINVS CARACALLA non minus ius variis nouis institutis locupletauit. Vt enim iam non dicam de celeberrima constitutione *l. 17. ff. de statu hom.* qua ius ciuitatis cum omnibus ingenuis in orbe Romano communicauit, quippe quam Caracallae vindicauit ac erudito commentario illustrauit Ezech. Spanhemius in Orbe Romano: tot aliae eius constitutiones in Pandectis & Codice non modo nostro, sed & Gregoriano, & apud Paullum in Receptis Sententiis laudantur, vt reliquorum Imperatorum paene omnium constitutiones numero superare videantur.

ris Romani sub Antonino Caracalla.

§. CCLXVII.

ELAGABALVS, monstrum hominis, non plus ad iurisprudentiam contulit, quam OPILIVS MACRINVS, imperii aemulus, quamuis hic *iuris non incallidus*, & teste Herodiano IV, 12. peritus νόμων ἐπιστήμης, *omnia rescripta veterum principum tollere statuerit, nefas esse, dicens, leges videri Commodi & Caracallae, hominum imperitorum voluntates, quum Traianus numquam libellis responderit, ne*

Sub Macrino & Elagabalo.

ad alias caussae facta proferrentur, quae ad gratiam composita viderentur. Iul. Capitolin. in Opil. *M*acrino Cap. XIII. ELAGABALI in Pandectis ne nomen quidem exstat. Constitutiones tamen eius nonnullae habentur, *l. vn. C. Gregor. de patr. pot. & l. 8. C. de negot. gest.* quas Elagabali esse docent, subscriptionibus Coss. simul explicatis, Henr. Noris. Epist. Consul. p. 471. & Ant. Pagi Crit. in Baron. Annal. ad ann. *CCXVIII.* Quin obiter monemus, Elagabali Imp. origines & familiam, ex Pandectis non modo illustrari, sed & suppleri quodammodo posse. *

* Fuisse ELAGABALVM filium *Varii Marcelli & Iuliae Soaemidis*, satis notum est. Sed in Pandectis varii occurrunt eius cognati, quos hac tabula repraesentamus, simul quaedam emendantes, quae non satis accurate tradidit Thom. Reines. Epist. ad Rupert. LXIX. p. 611.

N. N.

N. N. e familia Iuliorum.

- *Iulius Agrippa* primipilaris, de quo *l. 38. ff. de legat. 3.* patruus magnus Iuliae Domnae, quam legem non intellexere Cuiac. Obs. III, 18. & Menag. Amoen. Iur. Cap. XXV. p. 142. sequ.
  - N. filia, de qua *l. 38. ff. de legat. 3.*
    - N. neptis, de qua *d. l. 38.*
  - *Iulius Agrippinus*, cui rescripsit Antoninus Imp. a. 961. Pariat Leg. Mos. & Rom. X, 9
- N. Iulii Agrippae, frater.
  - *Bassianus*, sacerdos Dei solis, Sex. Aurel. Vict. in Caracalla & Elagab.
    - *Iulia Domna* Aug. nupta Septimio Seuero Imp.
      - *Antoninus Caracalla Imp.*
        - *Filiolus* cum matre in Liparam relegatus. Dio.
      - *P. Septimius Geta a fratre occisus.*
    - *Iulia Moesa* ex Apamea Syriae, Dio. vel ex Emesa vt mauult Herodian. V, 4.
      - *Iulia Sooemias* nupta Vario Marcello.
        - ELAGABALVS Imp.
      - *Iulia Mammaea*, nupta Genesio Marciano.
        - ALEXANDER, Imp.

§. CCLXVIII.

Successit his ALEXANDER SEVERVS, disciplinae continentissimae princeps, & qui ipse quoque haut pauca constitutionibus suis definiuit. Praefectorum vrbi & praetorio potentiam maxime auxit, & illis quatuordecim Romae curatores addidit ex consularibus, quos audire negotia cum praefecto vrbis iussit, ita vt *Status iuris sub Alexandro.*

omnes,

omnes, aut magna pars adeſſet, quum a-
cta fierent: Lamprid. in Alex. Cap. *XXXIII.*
His Senatoriam addidit dignitatem, vt viri clariſſimi & eſſent & dicerentur, idque ideo, ne quis non Senator de Senatore Romano iudicaret. Lamprid. ibid. Cap. XXI. quin & edicta eorum, condito licet edicto perpetuo, ſeruari voluit. *l. 2. C. de offic. praef. praet. Or. & Illyr.*

§. CCLXIX.

Et ſub Maximino Maximo & Balbino & Gordiano.

MAXIMINVS contra, quod a ſcelere auſpicatus eſt, imperium tam breue habuit, vt non multum potuerit de iure nouo conſtituendo cogitare. Habemus tamen duas eius conſtitutiones, *l. 13. C. de pact. l. 6. C. de iure dot.* quum oppoſitorum ipſi Principum, MAXIMI & BALBINI, nulla plane exſtet. Plurimae tamen ſuperſunt GORDIANI, ſub quo reuireſcere potuiſſet imperium, ſi vixiſſet diutius, nec non percuſſoris ipſius PHILIPPI, Arabis, quamuis plerisque horum omnium epiſtolis magis vetera iura ſpeciebus obuenientibus adplicari, quam noui quidquam ſanciri animaduertamus.

§. CCLXX.

ICti huc

Supereſt, vt & IVRISCONSVLTOS, qui

qui a Commodi exceſſu ad haec vsque tempora floruerunt, paucis perſequamur. Eorum facile princeps fuit AEMILIVS PAPINIANVS, quem vulgo Italum, Hoſtilii Papiniani & Eugeniae Gracilis filium faciunt, ob lapidem, deſcriptum a Grut. p. *CCCXLVIII*, 8. Sed nihil ei lapidi veri ineſſe, ad quem tot viri docti offenderunt, praeclare oſtendit V. C. Eu. Otto in Papiniano Cap. III. qui eumdem potius Syrophoenicem & Iuliae Domnae cognatum fuiſſe, ſuſpicatur. Ceterum de Papiniano nemo praeclarius meritus eſt viro illo doctiſſimo, qui eius peritiam linguae Graecae, & Latinae, nec non elegantiae breuitatis & vetuſtatis ſtudium, hiſtoriae denique ac philoſophiae Stoicae ſcientiam, ad caput vsque nonum iſtius opuſculi tot argumentis demonſtrauit, vt nemo futurus ſit, qui Iliada poſt Homerum ſcribere velit. *vsque florentes, Papinianus. Eius origo & doctrina.*

§. CCLXXI.

In iure praeceptorem habuit Scaeuolam, Spart. in Caracalla Cap. VIII. in eaque arte adeo profecit, vt omnes veteres longo poſt ſe interuallo reliquerit, Zoſim. I, 9. dictus proinde *iuris aſylum & doctri-* *Iurisprudentia.*

ctrinae legalis thesaurus, Spart. in Seuero Cap XXI, ὁ ἄριστος τῶν νομικῶν, *iurisconsultorum excellentissimus*, Theoph. §. 7. Inst. de fideic. hered. *legum armarium*, Cassiod. Var. VI, 5. *acutissimi ingenii vir*, *& merito ante alios excellens*, *l. 30. C. de fideicomm.* & vix vnquam a veteribus sine elogio nominatus, * quin tanto maior, quanto minus in aliorum verba iurarat, inter erciscundos, quos vocant, praecipuus. Otto Cap. XI, §. VI.

* Hinc insignis viri auctoritas non modo in scholis iuridicis, postea institutis, in quibus tertio anno studiosi iuris Papinianistarum nomen non sine caerimoniarum sollemnitate adsumebant, *Const. omnem* § *i. 4. ad antecess.* verum etiam in foro, vbi non solum Papiniano inter eos ICtos, quorum libris Theodosius Iunior vim iuris scripti concesserat, primus locus datus, sed & cautum, vt paribus ICtorum suffragiis ea pars vinceret, cui suffragaretur Papinianus *l vn. C. Theod. de resp. prud.* & ibi Iac. Gothofred.

§. CCLXXII.

Honores & libri. Quamuis vero innumeris paene negotiis distringeretur, quippe sub Marco Aduocatus fisci, Spartian. in Carac. Cap. VIII. sub

ſub Seuero libellorum Magiſter, *l. 12. ff. de diſtract. pign.* ac paullo poſt Praefectus praetorio, Xiphil. lib. LXXVI. & Caracallae ac Getae fratrum, totiusque imperii tutor: Zoſim. I, 9. non tamen ideo eum libros praeſtantiſſimos ſcribere taeduit, veluti *libros XXXVII.* QVAESTIONVM, *libros XIX.* RESPONSORVM, *libros II.* DEFINITIONVM, porro DE ADVLTERIIS tum *libros II.* in quibus ſingula legis Iuliae capita ordine expoſuit, tum alium ſingularem, *l. 11. ff. ad L. Iul. de adult.* de exercitione huius publici iudicii, V. C. Euer. Otto in Papin. Cap. XII. p. 249. ac denique *librum* ΑΣΤΥΝΟΜΙΚΟΝ, quo Aedilium municipalium officia Graece deſcripſit, ceu docet *l. vn. ff. de via publ.* conf. Cel. Otton. Papin. Cap. IV. §. III. Maſcou. de Sect. VIII, 6, 2.

§. CCLXXIII.

Sed tantum ſidus exſtinxit furor Antonini Caracallae, qui quum virtutem Papiniani ferre non poſſet, ipſe flagitiis omnibus contaminatus, non modo eum dignitate mouit, ſimul ac peruenit ad imperium, Dio Caſſ. LXXVII. pr. verum etiam paullo *Mors Papiniani.*

lo post parricidium Caracallae in Geta admissum defendere recusantem, vna cum filio Quaestorio nefarie interemit. Quamuis ea de re non parum discrepent veterum historicorum sententiae. Ceterum Papinianum tum non triginta sex, sed septuaginta ac plurium annorum fuisse, ostendit V. C. Eu. Otto in Papin. Cap. XVI.

§. CCLXXIV.

Tertullianus an idem cum patre ecclesiae?

De TERTVLLIANO praecipue quaeritur, sitne idem cum *Q. Septimio Florente Tertulliano*, quem inter antiquae ecclesiae patres Latinos primum tenuisse locum nouimus? Nam & hunc sacris nostris initiatum fuisse, & Eusebius Hist. Eccl. II, 2. testatur, qui eum τȣ̀ς Ῥωμαί-ων νόμȣς ἠκριβωκότα ἄνδρα, *virum Romanum ius accurate doctum* adpellat, & ipsa viri opera satis superque ostendunt. Vnde fragmenta illa Tertulliani ICti, quae in Pandectis supersunt, patri illi ecclesiae tribuere non dubitarunt Ant. Augustin. de nom. propr. Pand. p. 139. Cuiac. Obs. VII, 2. Radulphus Forner. Rer. Quotid. VI, 5. Guil. Grot. Vit. ICt. II. 9. Sed si nihil aliud huic sententiae obstaret: ipsum dicendi genus, a tumido illo patris ecle-

clesiastici stilo diuersissimum, satis euincerent, diuersum esse hunc ICtum a doctore Christiano. Menag. Amœn. Iur. ciu. Cap. XII, p. 71.

§. CCLXXV.

Videntur tamen ambo eiusdem fuisse ætatis. Vlpiano certe noster anterior est, a quo citatur *l. 30. §. 6. ff. de adqu. vel amitt. poss.* posterior vero SC. Tertulliano, quod sub Hadriano factum esse, diximus, ceu colligi potest ex *l. 2. §. 44. ff. ad SC. Tertull.* Scripsit *libros VIII.* QVAESTIONVM, & de CASTRENSI PECVLIO *librum singularem*, ex quo tria in Digestis nostris fragmenta supersunt *l. 23. ff. de test. mil. l. 33. eod. l. 44. de castr. pecul.*

Eius aetas & scripta.

§. CCLXXVI.

Minus celebres sunt CLAVDIVS TRYPHONINVS, Papiniani æqualis, quocum & cum Messio in Seueri & Antonini Imperatorum consilio fuit, *l. 50. ff. de iur. fisci* & præter NOTAS AD SCAEVOLAM, ab Ant. Dadino Alteserra illustratas, Tolos. 1679. libros XXI. non XXVI, vt visum est Guil. Grotio II, 9. DISPVTATIONVM scripsit: ARRIVS MENANDER, Antonini Caracallæ consiliarius,

Tryphoninus. Arr. Menander, Peditus, Puteolanus, Paetumeius Clemens, Fronto, Anthianus, Saturninus.

rius, & hinc a tutela excuſatus, *l. 11. ſ. 2. ff. de min. vig. quinqu. ann.* auctorque librorum IV. MILITARIVM, ſeu de RE MILITARI. Porro SEX PEDIVS, incertæ ætatis, qui ad EDICTVM tum PRAETORIVM, tum AEDILITIVM, notaſſe, librumque DE STIPVLATIONIBVS, ſcripſiſſe videtur. *l. 2. ſ. 6. de bon. poſſ. l. 6. ff. de reb. cred.* PVTEOLANVS, auctor librorum ADVERSARIORVM. *l. 12. ff. de pact.* PACTVMEIVS CLEMENS, citatus a Pomponio *l. 21. ſ. 1. de ſtatu lib.* PAPIRIVS FRONTO, cuius RESPONSA laudat Calliſtratus, *l. 220. ff. de verb. ſignif.* FVRIVS ANTHIANVS, auctor *librorum V.* ad EDICTVM, *) Denique & de CLAVDIO & Q. SATVRNINIS, & RVTILIO MAXIMO tantum non omnia incerta ſunt.

* Hic commentarius ne Triboniani quidem aetate integer videtur exſtitiſſe. Praeterquam enim, quod ex ſolo *libro I* tria tantum fragmenta in Pandectas relata ſunt, *l. 62. ff. de pact l. 40 ff de dolo mal. l. 80. ff. de rei vind.* auctor eſt Laur. Theod. Gronou. de Emend. Pand. Cap. XXV. p. 81. in Indice Florentino, non vt in Taurelliana, legi

μέρος

μέρος ἐδίκτȣ βιβλία πέντε, sed μέρος ἐδίκτȣ βιβλίων πέντε.

§. CCLXXVII.

At tanto maiorem sibi celebritatem peperit DOMITIVS VLPIANVS, Tyrius, Syrophoenix, * *l. 1. pr. ff. de censi.* qui Romae iam sub Seuero & Antonino floruit, & ab Elagabalo quidem ob bonitatem aut dignitatibus priuatus, aut actus est in exsilium, Lamprid. Elagab. Cap. XVI. at sub Alexandro ad summam praefecturae praetorianae fastigium imperiique tutelam adspirauit, ἐπιγνώμων καὶ ὥσπερ κοινωνὸς τῆς ἀρχῆς, *inspector & quasi particeps imperii*, vt vocatur a Zosimo Hist. I, 11. tantaque prudentia eo amplissimo munere functus, vt dicere non vereatur Lamprid. in Alex. Cap. LI. *ideo Alexandrum summum Imperatorem fuisse, quod Vlpiani consiliis praecipue rexerit rempublicam.* Antea & inter Papiniani adsessores & Magister scriniorum, & Consiliarius Alexandri, & praefectus annonae fuerat. Lamprid. ibid. Cap. XXVI. *l. 4. C. de contrah. stipul.* Quamuis vero adeo eum amaret Alexander, vt illum non modo *amicum suum*, sed & parentem fere

Vlpiani origo, honores, mors.

vocaret: *d. l. 4. & l. 24. C. locat.* a militibus tamen praetorianis, perosis eius seueritatem, in ipso paene Imperatoris gremio interemtus est. Zosim. I, 11. Xiphilin. Lib. LXXX.

* Sunt, qui ideo Hebraismos quosdam in eius stilo deprehendere sibi videntur. Sed quamuis recte obseruante V. C. Car. Andr. Duckero de Latinit. ICt. p. 322. & 392. loquutiones quasdam sibi peculiares habeat: nihil tamen in eius fragmentis esse, quod Hebraismum redoleat, singulari programmate de Hebraismis Vlpiani ostendimus Francof. 1730.

§. CCLXXIIX.

Eius iurisprudentia. In iurisprudentia id, quod summum est, erat adsequutus, νομοθέτης ἄριστος, καὶ τὸ παρὸν εὖ διαθῆναι καὶ τὸ μέλλον εὐστόχως συνιδεῖν δύνατος, *ICtus praestantissimus, qui & rebus praesentibus recte vti, & futura callide prospicere poterat.* Zosim. Hist. I, 11. Nulli addictus, modo Sabinianis, modo Proculo eiusque sectatoribus suffragatur, ideo inter erciscundos relatus a V. C. Gotfr. Mascouio de Sect. VIII, 7, 2. quamuis eum Proculeianis addictiorem fuisse existimet V. C. Eu. Otto in Papin. Cap. XIII, 9. p. 297. Obseruant

uant tamen, eum ſaepius perſtringere Papinianum, etiam vbi id minime mereri videretur, Eu. Otto. Papinian. XIII, 7. p. 288. ſequ. quin argutari aliquando,* & cauillis vti, thermis Neronianis frigidioribus. Id. ibid. XIII, 8. Id quod tamen me nondum deprehendiſſe, fateor.

* Eum verborum nouatorem eſſe, obſeruat etiam Iac. Gothofred. Animadu. Cap. VIII. Sed fallitur vir doctus, dum ſequutus Iac. Cuiacium Obſ. XXIV, 39. eum confundit cum Vlpiano, Sophiſta, quem κειτούκειτον vel κειταιπούκειτον dictum, & ob κενοφωνίαν ſaepe irriſum eſſe refert Athenaeus III, 18. Diuerſus enim ille eſt a noſtro, aeque ac Vlpianus, Demonſthenis Scholiaſtes, quamuis & ipſe Tyrius fuerit. Fabric. Biblioth. Graec. IV, 20, 6. p. 632.

§. CCLXXIX.

Fragmenta VLPIANI in Pandectis vtramque faciunt paginam. Scripſit enim plurima, puta DIGESTORVM *libros ſaltim XL.* AD EDICTVM *libros LXXXIII.* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libros II.* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM *libros XX.* AD SABINVM *libros LI.* AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS *libros* *Eius ſcripta.*

bros V. DE ADPELLATIONIBVS *libros IV.* DE CENSIBVS *libros VI.* DISPVTATIONVM *libros X.* FIDEICOMMISSORVM *libros VI.* INSTITVTIONVM *libros II.* AD LEGEM AELIAM SENTIAM *libros saltim IV.* OPINIONVM *libros VI.* PANDECTARVM *libros X.* * REGVLARVM *libros VII.* RESPONSORVM *libros II.* PROTRIBVNALIVM *libros X,* de quorum argumento videndus Cuiac. Obs. VII, 23. DE OFFICIO COS. *libros III.* PROCOS *libros X.* QVAESTORIS *libros siue II. siue vnum.* Vid. Merill. Obs. II, 30. Denique *libros singulares* DE OFFICIO CONSVLARIVM, CVRATORIS REIP. PRAEFECTI VIGILVM, PRAEFECTI VRBI, PRAETORIS TVTELARIS, item DE EXCVSATIONIBVS & SPONSALIBVS. Accedunt NOTAE in ARISTONEM, PAPINIANVM & MARCELLVM, de quibus Eu. Otto in Papin. XIII, 6. sequ. Merill. Obs. I, 28.

* Hos libros saepenumero in Glossis Philoxeni citari, obseruat Cuiac. Obs. X, 34. Quum vero Lactant Inst. Diu. V, 15. referat, Domitium *libro septimo* (ita enim legendum

gendum esse, recte monet Menag. Amoen. Iur. ciu. XII. p. 69.) *de officio procos.* multa Principum rescripta contra Christianos collegisse: quaerunt eruditi, an de Vlpiano nostro loquatur? Negant id multi, & nuper ex instituto V. C. Petrus de Toullieu, sed sine idoneo argumento. Christianis nostrum parum aequum fuisse, & aliunde patet. *l. 1. § 3. ff. de extraord. cognit.* Conf. V. A. Corn. van Bynkersh. de relig. peregr. Diss. I. p. 241.

§. CCLXXX.

Iulii Paulli origo & honores.

Suppar aetate eiusdemque dignitatis fuit IVLIVS PAVLLVS, quem Bartachinus & alii *Patauinum;* Io. Bertrandus *Tyrium;* Hotomanus & Marcilius *Graeculum;* Laurentius denique Pignorius opusculo singulari & Epist. Symbol. I, 41. *Romanum* fuisse existimant. Eosdem fere per omnia honores gessit, ac Vlpianus, Seueri quippe consiliarius, *l. vlt. ff. de iur. fisc. l. 97. ff. de adquir. hered.* nec non Antonini Caracallae, *l. 38. ff. de minor.* sed ab Elagabalo in exsilium actus, patriaeque redditus ab Alexandro Seuero. Aur. Vict. Cap. XXIV. Fuit etiam inter Papiniani adsessores, *l. 40. ff. de reb. cred.* ac demum Praefectus praetorio. Lamprid. in Alex.

Cap. XXVI. Quin Elagabalum Imperatorem generum habuit, data ei in matrimonium parum auſpicatum IVLIA CORNELIA PAVLLA, filia, quam γυναῖκα ἐυγενεςάτην, *feminam illuſtriſſimam* vocat Herodian. Hiſt. V, 6. cuiusque numos expoſuit Vaillant. de Numiſm. Imp. p. 137. & 269.

§. CCLXXXI.

Eius iurisprudentia Hic quoque *iuris peritiſſimus* audit Lampridio in Alex. Cap. LXVIII. & cum Scaeuola & Vlpiano *legum peritorum coryphaeus* vocatur a Modeſtino *l. 13. ſ. 2. ff. de excuſ.* Sunt, qui eum Sabinianum fuiſſe credunt, Eu. Otto Papinian. XIII, 9. aliis eum ICtis erciſcundis accenſentibus. Maſcou. de Sect. VIII, 8, 2. Id vero omnes obſeruant, eum carpendi ſtudio abreptum magnorum virorum ſententias ſaepe non ſine acerbitate perſtrinxiſſe. Balduin. in Iurispr. Muc. p. 299. Faber ad *l. 145. ff. de reg. iur.* Eu. Otto ibid. p. 294. ſequ. Maſcou. p. 144, & ab Vlpiano inprimis & Papiniano frequenter disſenſiſſe, Merill. Obſ. I, 33. quamuis quae de aemulatione Vlpiani & Paulli referuntur, non adeo certa putet V. A. Corn.

van

van Bynkershoek. ad L. Lecta Cap. XIII. p. 89. Denique subtilitatum studiosissimum, & subinde σκοτεινὸν & obscurum fuisse, Duaren. *ad l. 132. ff. de Verbor. oblig.* quamuis & hic eum absoluat illustris Bynkersh. ad L. Lecta Cap. IX. p. 55.

§. CCLXXXII.

Indicem operum bene longum texit Index Florentinus, quem hic exscribere taedet. * Fuit enim Paullus ICtorum omnium πολυγραφώτατος. Hinc id potius obseruamus, ne omnes quidem Paulli libros in indice isto recenseri, sed in eo desiderari AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libros II*, EPITOMARVM seu EPITOMATORVM ALFENI DIGESTORVM *libros saltim V.* DE IVRE FISCI tum *libros II.* tum *librum singularem*, DE LIBERALI CAVSSA, & DE ARTICVLIS LIBERALIS CAVSSAE, nec non DE ADSIGNATIONE LIBERTORVM, DE COGNITIONIBVS, DE CONCEPTIONE FORMVLARVM, DE DOTIS REPETITIONE, DE FORMA TESTAMENTI, AD LEGEM FVSIAM *Et opera.*

CANINIAM, DE OFFICIO ADSESSORVM & COS. AD ORATIONEM DIVI ANTONINI ET COMMODI, AD SENATVSC. LIBONIANVM & DE VARIIS LECTIONIBVS *libros singulares:* DE CENSIBVS *libros IV:* Denique NOTAS ad IVLIANVM, SCAEVOLAM & PAPINIANI QVAESTIONES & RESPONSA.

* Exſtiterunt enim opera & opuſcula eius vltra nonaginta, quorum tamen quaedam breuiſſima fuerunt, & non niſi paucis plagellis conſtiterunt. Habuit ſane vir doctus librum PAVLLI *de gradibus & adfin.* quem non multo prolixiorem fuiſſe, quam *l. 10. ff. de grad. & adfin.* teſtatur Cuiac. Obſ. VI, 40. Quales fuerint Paulli *libri* Decretorum, diſquirunt Cuiac. Obſ. II, 26. & Merill. Obſ. II, 26. quales libri *ad Plautium* & *ad Labeonis* libros πειϑανῶν V. A. Corn. van. Bynkersh. Obſ. II, 18. III. 6. & 12. Quales libri Quaeſtionum? idem laudatiſſimus Bynkersh. ad L. Lecta Cap. I. p 3. ſequ. Ad eius libros Manualium librum Differentiarum ſingularem edidit Em. Merill. Pariſ. 1638. 4. Non ſcripſiſſe porro Paullum de *ſeptemuiralibus*, ſed *de centumuiralibus iudiciis*, iam alli viderunt. Io. Fridr. Gronou. Obſ. IV, 2. Sic plu-

plura alia obseruare possemus de Paulli operibus, nisi admoneret promissae breuitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint.

§. CCLXXXIII.

Iisdem temporibus floruit etiam CALLISTRATVS, quippe qui Seuerum & Antoninum Caracallam Imperatores suos vocat. *l. 2. ff de iur. fisc l. 38. ff. de legib. l. 3. §. vlt. ff. de off. procurat. Caes.* Scripsit COGNITIONVM vel DE COGNITIONIBVS *libros VI.* EDICTI MONITORII *libros totidem*, quos ad ordinem edicti perpetui compositos esse, obseruaui, INSTITVTIONVM *libros III.* DE IVRIBVS FISCI ET POPVLI *libros IV.* ac denique *libros II* QVAESTIONVM. *Callistratus.*

§. CCLXXXIV.

AELIVS MARCIANVS quoque Alexandri Seueri tempora attigit, Iac. Gothofr. de Cenotaph. p. 330. quippe qui Antoninum Caracallam Diuum vocat, *l. 11. §. 3. 4. ff. de mun. & hon.* & ab Alexandro Imp. rescripto videtur honoratus. *l. 4. C. ne de statu def.* Fuit & ipse adsessor siue Papiniani, siue Vlpiani, *l. 1. fin. ff. ne de statu defunct.* Inter erciscundos ICtos eum *Aelius Marcianus.*

eum refert V. C. Eu. Otto in Papin. XIII, 9. p. 298. Scripſit DE ADPELLATIONIBVS *libros II.* INSTITVTIONVM *libros XVI.* in quibus eum, quod in ipſis rerum obtinebat argumentis ſtudioſis propoſuiſſe, obſeruat Iac. Gothofred. de Cenotaph. p. 330. Tom. III. Theſ. iur. REGVLARVM *libros V.* PVBLICORVM *libros II.* DIGESTORVM *libros VII.* *libros* porro *ſingulares* DE DELATORIBVS, AD HYPOTHECARIAM FORMVLAM, & AD SC. TVRPILLIANVM. Denique NOTAS AD PAPINIANI *librum II.* de adulteriis, quas eum non interpretationis, ſed reprehenſionis cauſſa, ſcripſiſſe, poſt Franc. Raguellum ad. l. 1. C. de vet. iur. enucl. obſeruat. V. C. Eu. Otto in Papiniano XIII, 6. & 9. p. 285. & 298.

§. CCLXXXV.

Florentinus, Venuleius, Licinius Rufinus, & Aemilius Macer.

Nullum quoque dubium eſt, quin eiusdem aetatis fuerint FLORENTINVS, cuius exiſterunt INSTITVTIONVM *libri XII*, ſtilo non vulgari ſcriptae: VENVLEIVS SATVRNINVS, cuius citantur ACTIONVM *libri X* DISPVTATIONVM *libri VII.* INTERDICTO-

RVM

RVM *libri VI.* DE OFFICIO PROCOS. *libri IV.* DE POENIS PAGANORVM *liber singularis* PVBLICORVM *libri II.* & STIPVLATIONVM *libri XIX.* porro LICINIVS RVFINVS, qui cum Iulio Paullo litterarum commercium habuit, *l. 4. ff. quib. ad libert. procl. non lic.* adeoque & ipse sub Alexandro Seuero floruit, scripsitque REGVLARVM *libros saltim XIII.* si recte se habet inscriptio *legis 34. ff. de re iud.* *) denique AEMILIVS MACER, qui Alexandrum Imp. suum vocat, *l. 1. ff. si pend. adpell.* & subinde citat Paullum, & Vlpianum, *l. 68. ff. ad leg. Falc. l. 13. ff. de re milit.* auctor *librorum II.* MILITARIVM, totidemque PVBLICORVM, DE OFFICIO PRAESIDIS, ΕΙΚΟΣΤΩΝ seu DE VICESIMA HEREDITATIS, & DE ADPELLATIONIBVS. Perperam ipsi tribuitur opus Ὀρνιθογονίας, cuius meminit Diomed. Lib. I. quod alii Aemilio Macro, poetae Agustei aeui deberi, docuit Broukhus. ad Tibull. II, 6.

* Vulgo eidem tribuunt COLLATIONEM LEGVM MOSAICARVM ET ROMANARVM, a Petro Pithoeo primum editam

tam anno MDLXXII, & in Schultingii Iurispr. vet. anteiust. p. 727. sequ. recusam: sed non alio argumento, quam quod Io. Tilius narrare solitus sit P. Pithoeo, habuisse aliquando se eius operis fragmenta pauca, quae ipse Licinio Rufino tribuerit. Quamuis vero incertum esse fateatur Pithoeus, cur ita senserit Tilius: adeo tamen verosimile id plerisque visum est, vt ideo Licinium nostrum Christianum fuisse contendant, non modo Io. Bertrandus, sed & ipse Cuiac. Obs. VII, 2. & in Recitat. ad Paull. Vid. Menag. Amoen. Iur. Cap. VII. p. 37. Sed quum auctor collationis istius non modo ex codice Gregoriano & Hermogeniano, verum etiam Theodosiano constitutiones descripserit Tit. V. § 3. manifestum est, illum saltim non ante Theodosii tempora vixisse. Immo sunt argumenta, quae eum saeculo VI floruisse persuadent. Vid. Iac. Gothofred. Proleg. Cod. Theod. Cap. III. & Manual. Iur. II, 10. Ex quo sane consequitur, vt pariator ille, quisquis sit, a Licinio Rufino nostro sit diuersissimus.

§. CCLXXXVI.

Herennius Modestinus. HERENNIVM MODESTINVM ab Vlpiano eruditum esse satis certum est ex *l. 52. §. 20. ff. de furt.* quamuis ex eo loco vix probetur, eum gente Dalmatam fuisse. Sub

Sub Alexandro anno V. C. 996. cum Faltone Reſtitutiano controuerſiam decidit, decem & octo annos inter Magiſtros fontium & fullones agitatam. Fabrett. Inſcr. p. 278. Maximinum poſtea iuniorem in iurisprudentia inſtituit: Iul. Capitol. in Maximin. iun. Cap. I. & ſub Gordiano de iure reſpondit, qui eum *non contemnendae auctoritatis iurisconſultum* vocat. *l. 5. C. ad exhib.* Legalia Graecorum voce ſe enarraſſe, ipſe profitetur *l. 1. ff. de excuſ.* quamuis & alibi Graecismos in eius fragmentis notarit Merill. Obſ. III, 33. Aequitatem eius, modeſtiamque & prudentiam ex merito laudat V. A. Henr. Brenkman. in Modeſt. Heuremat. Cap. I. §. 18.

§. CCLXXXVII.

Scripſit praeter HEVREMATICA illa, a Io. Schiltero & laudato Brenkmanno Lugd. Bat. 1711. 8. illuſtrata, de quorum materia praeter ſcriptores laudatos videndi Cuiac. Obſ. XII, 32. & Merill. Obſ. VII, 34. DIFFERENTIARVM *libros IX.* EXCVSATIONVM *libros VI*, Graece ſcriptos quorum fragmenta erudite expoſuit Ant. Auguſtinus: porro REGVLARVM *libros X.* RESPONSORVM *Eius ſcripta.*

SORVM *libros XIX.* PANDECTARVM *libros XII,* quos definitiones tantum comprehendisse putat Merill. Obs. VIII, 32. DE POENIS *libros IV.* DE PRAESCRIPTIONIBVS *libros IV.* AD Q. MVCIVM *libros saltim XXXI.* Denique *libros singulares* DE DOTIS DIFFERENTIA, DE CASIBVS ENVCLEATIS, DE INOFFICIOSO TESTAMENTO, DE LEGATIS ET FIDEIC. DE MANVMISSIONIBVS, PRAESCRIPTIONIBVS, *RITV* NVPTIARVM & TESTAMENTIS. *

* Eidem periochas Virgilii Maronis libris praemissas post Scip. Gentilem Parerg. II, 31. haut pauci tribuunt, & in his V. C. Io. Alb. Fabric. Bibl. Lat. I, 12. 207. quas tamen grammatici cuiusdam sequioris aeui esse, res ipsa docet. Quin is sibi in praefatione cognomen Nasonis tribuit. Add. Catalecta Virgil p. 143. edit. Scalig.

§. CCLXXXVIII.

Ex eo tempore ICtorum oracula obmutuerunt.

Atque hic quidem iurisconsultorum finis est: hic oracula ICtorum obmutuere, sic vt vltimum eorum Modestinum dicere vere liceat, cessim & retro collapsa iam iurisprudentia. Itaque qui deinceps successerunt, cuiusmodi quam multos ob-

obſeruare licet, nudam docendi & profitendi publice prouinciam Romae, Conſtantinopoli & Beryti ſuſceperunt: ius autem non adauxerunt. Ita Iac. Gothofred. Man. Iur. p. 26. ſequ. Illuxerunt quidem multo poſt HERMOGENIANI, AVRELII ARCADII CHARISII, & IVLII AQVILAE, (vti nonnulli volunt,) ingenia, de quibus ſuo loco pluribus disſeremus: ſed vel ipſa eorum fragmenta oſtendunt, eos ad veterum gloriam minime adſpiraſſe.

§. CCLXXXVIIII.

Status iuris ſub reliquis ſaeculi tertii imperatoribus.

Qui ſequuti ſunt, Imperatores, praeter DIOCLETIANVM & MAXIMIANVM, vel breue imperium habuerunt, vel inter arma perpetuasque turbas de legibus vix cogitare potuerunt. Soli ergo DIOCLETIANVS, & collegae ſucceſſoresque, plures edidere conſtitutiones, quum reliqui & pauciores reliquerint, & plerumque ius adhuc receptum magis factis obuenientibus adplicarint, quam noui quid ſanxerint. Nec adeo ſerenam ſub Galerio & Maximiano iurisprudentiae faciem fuiſſe, diſcimus ex Lactant. de Mort. perſequutorum, Cap. XXII. qui

ſub eorum *principatu exſtinctam eloquentiam*, *cauſſidicos ſublatos*, *ICtos aut relegatos aut necatos*, conqueritur.

CAP. V.

DE STATV IVRIS ROM. SVB CHRISTIANIS IMPP. AD IVSTINIANVM.

§. CCXC.

Conſtantinus pluri ma in iure immutauit.

EX quo Chriſtianae veritatis lumen in orbe Romano reſplenduit, eoque colluſtratus CONSTANTINVS M. paganam ſuperſtitionem deſeruit (quod initio ſaeculi quarti factum nouimus:) hic dies aliam vitam, aliosque mores poſtulare viſus eſt. Hinc permulta in iurisprudentia mutauit CONSTANTINVS, quae ſuo more accurate explicauit Franc. Balduinus in Conſtantino Magno, recuſo Halae *MDCCXXVII.* 8. quo cum coniungendus Iac. Gothofredus in Commentariis ad Codicem Theodoſianum, in quo Conſtantini leges vtramque facere paginam nouimus.

§. CCXCI.

Exempla

Et ſane ad iura noua, Conſtantini edictis

nouorum iurium ab eo repertorum,

ctis inuecta, merito retuleris, quod eccleſiis per vltimam voluntatem, quantumcumque libeat, relinqui permiſit. *l. 1. C. de SS. eccleſ.* quod ludos gladiatorios ſuſtulit: *l. vn. C. de gladiat.* quod artium profeſſores immunitate donauit: *l. 6. C. de prof. & medic.* quod diem ſolis rite, nec tamen tam ſuperſtitioſe voluit celebrari, vt agricolis concedendae non ſint operae neceſſariae: *l. 3. C. de fer.* quod ſeruos bouesque aratores pignori capi, *l. 7. C. quae res pign. oblig. poſſ.* quod concubinas vna plures haberi vetuit: * *l. vn. C. de concub.* quod liberos non niſi ſanguinolentos diſtrahi paſſus eſt. *l. 1. C. de patr. qui lib. diſtr.*

* Mirantur nonnulli, concubinatum non plane ſublatum eſſe a Conſtantino M. principe Chriſtiano, & qui alias leges ſaluberrimas de re matrimoniali tulerat; Sed impares tum leges fuiſſe huic communi vitio, & Conſtantinum ſatis multa ſanxiſſe, quibus concubinatus indirecte ſubrueretur, oſtendimus in Comment. ad Leg. Iul. & Pap. Popp.

§. CCXCII.

Alia eiusdem generis.

Idem Conſtantinus voluit, vt bona liberorum materna ita eſſent in poteſtate pa-

patrum, vt fruendi tantum haberent facultatem, dominio earum ad liberos pertinente, *l. 1. C. de bon. matern* edixitque de equis, qui cursui publico destinati erant, fuste non contundendis. *l. 1. C. de curs. publ.* de tacita pupillorum hypotheca in bonis tutorum: *l. 20. C. de admin. tut.* Idem SC. de rebus minorum sine decreto non alienandis ad vrbana etiam praedia produxit: * *l. 22. C. eod.* & de actione ex donatione danda *l. 25. C. de donat.* de diuisione paterna a liberis seruanda: *l. vlt. C. fam. ercisc.* de querela inofficiosi fratribus & sororibus non concedenda, nisi instituta turpi persona: *l. 27. C. de inoff. test.* de testibus non nisi iuratis fidem facientibus: *l. 9. C. de testib.* de carcere in pœnam non habendo: *l. 1. C. de cust. reor.* & plura huius generis alia sanxit.

* Quin singularem eam in rem Praetorem videtur constituisse Constantinus M. qui hoc vnum ageret, vt caussa cognita, res minorum vendi posse vel non posse decerneret. Eius enim praetoris Constantiniani ipse meminit *l. vlt. C. de praed. & al. reb. min.* cuius etiam decretum necessarium esse vult, si propter debita fiscalia vel pupilli, vel minoris res aliqua distrahenda sit. Balduin. in Constant. M. p. 177.

§. CCXCIII.

§. CCXCIII.

Reuixisse ergo quodammodo sub Constantino M. videtur Romana iurisprudentia. Cuius rei argumentum & hoc esse opinor, quod post tantum temporis internallum, quaedam ICtorum ingenia sub eo illuxerunt, quo supra HERMOGENIANVM & AVRELIVM ARCADIVM CHARISIVM retulimus. Celeberrima iis temporibus fuit *Hermogenianorum* familia, genti Aniciorum, arcto vinculo connexa, de qua docte disseruit Reines. ad Inscript. p. 70. Nostrum post Constantinum & sub eius liberis floruisse, manifestum est ex eo, quod *l. 17. ff. de min.* meminit praefectorum praetorio, a quibus adpellari non possit, id quod a Constantino demum anno *CCCXXXI.* sancitum est. *l. 16. C. Theod. de adpell.* Immersum eumdem adhuc fuisse paganis superstitionibus, nos ex eadem *l. 60. ff. de don. int. vir. & vx.* ex qua eum, Christianum fuisse, probare conatus est Bertrandus, probamus. Scripsit EPITOMATORVM IVRIS *libros VI*, * quorum ordinem ipse indicat, *l. 2. ff. de stat. hom.*

Sub eo floruere ICti: Hermogenianus.

 * Alii

* Alii ei tribuunt etiam *libros* FIDEICOMMISSORVM ob inſcriptionem *l. 14. ff. ad SC. Trebell.* Sed eam mendoſam eſſe, & prima tantum verba ex Hermogenis *Epitomat. Iur.* reliqua ex Vlpiani libris fideicommiſſorum eſſe, oſtendit Cuiac. Obſ. II, 27. vbi etiam docet, Hermogenis libros Epitomatorum iuris, non eſſe Digeſtorum Iuliani epitomen, ſed inſtitutiones iuris. An denique Hermogenianus noſter auctor ſit Codicis Hermogeniani: alibi videbimus.

§. CCXCIV.

Aurelius Arcadius Chariſius. AVRELIVM ARCADIVM CHARISIVM eiusdem aetatis fuiſſe, ex *l. vn. §. 1. ff. de off. praef. praet.* colligimus, vbi itidem praefectorum praetorio, a quibus adpellare non liceat, meminit, quod ius a Conſtantino demum Magno introductum eſſe, paullo ante monuimus. Vnde perperam Guido Pancirolus Var. Lect. I, 79. p. 161. eum ſub Caro, Carino & Numeriano, nec non ſub Diocletiano, floruiſſe contendit. * Chriſtianum illum fuiſſe, cenſet Cuiac. Obſ. VII, 2. ſed non addita vlla ratione, qua in hanc opinionem adductus ſit. Sex ſane, quae in Pandectis ſuperſunt fragmenta, nihil, quod Chriſtianiſmum redoleat, continent. Certius

tius ex eorum inſcriptionibus conſtat, eum magiſtri libellorum officio fuiſſe functum, & *libros ſingulares* DE TESTIBVS, *l. 1. l. 21. l. 25. ff. de teſt. l. 10. ff. de quaeſt.* itemque DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO, *l. vn. ff. de off. praef. praet.* ac denique DE MVNERIBVS CIVILIBVS reliquiſſe. *l. 18. ff. de mun.*

* Ad noſtrum enim directas putat conſtitutiones Cari Carini & Numeriani, *l 4. C. de calumn.* nec non Diocletiani & Maximiniani *l. 9. C. de quaeſt. l. 1. C. ne ruſticani ad vll. obſ. l. 27. C. de pactis.* Sed *l. 4. C. de calumn. ad Arcadium* quemdam reſcribitur, quo nomine plures tum vſos nouimus. *L. 27. C. de pact.* directa eſt ad *Arcadium Chreſimum*, nec facile quis audiuerit Pancirolum de Clar. Leg. interp. l. 2. p. 12. pro *Chreſimo*, nullo addicente codice reſcribentem *Chariſio.* In reliquis legibus ne nomen quidem Arcadii reperimus.

§. CCXCV.

Quod ad IVLIVM AQVILAM attinet, eius familiam iam Elagabali Imp. tempore floruiſſe arbitror, ſiquidem ille in matrimonio habuit IVLIAM AQVILIAM SEVERAM, antea virginem Veſtalem, cuius numi exſtant apud Patin. *Iulius Aquila.*

T 4 Nu-

Numiſm. Imp. p. 270. De ICti noſtri aetate multa diſputant eruditi, quae veluti in nucleo exhibet V. C. Eu. Otto in Praef. Theſauri Iur. Tom. I. Id vnum nouimus, reliquiſſe Iulium Aquilam *librum* RESPONSORVM, ex quo bina ſuperſunt fragmenta *l. 34. ff. de adm. & peric. tut.* & *l. 12. ff. de ſuſp. tut.*

§. CCXCVI.

Schola Iuridica Berytenſis.

Reuixiſſe tum iurisprudentiam Romanam, argumento etiam eſt SCHOLA IVRIDICA, quae tum non quidem inſtitui primum, ſed inclareſcere in orbe Romano coepit, puta BERYTENSIS, * quae & ſaeculis inſequentibus adeo in deliciis fuit Imperatoribus, vt aliis locis quam Beryti, Romae & Conſtantinopoli ius publice doceri prohiberent, & quum Alexandriae & Caeſareae nonnulli ſcholas iuridicas aperirent, eas claudi, ſatis ſeuere iuberet Iuſtinianus Imp. *Conſt. omnem reip. ſ. 7. ad anteceſſores.*

* Quod enim ad Romanam attinet & Conſtantinopolitanam, eas paullo recentiores eſſe Berytenſi, paullo poſt oſtendemus. Romae ſane multi ius docebant, multique eo ex prouinciis migrabant eius diſcendi cauſſa,

ſa, nec tamen ante Theodoſium Iuniorem ibi fuiſſe videntur Profeſſores, qui publica auctoritate ius Romanum interpretarentur, quod & de ſchola Conſtantinopolitana eſt obſeruandum.

§. CCXCVII.

Eius laudes & fata ſaeculis tertio & quarto.

Eam ſupra ſaeculo III coepiſſe monuimus. Iam vt paullo accuratius in eius aetatem inquiramus, obſeruamus, non demum ſub Diocletiano, (vti Strauch. de Beryto Cap. IV. §. 15 cenſet,) ſed haut paullo prius eam iuris Romani ſtudiis floruiſſe. Nam Gregorius Thaumaturgus, qui iam anno *CCXLVIII* ad Epiſcopatum Neocaeſarienſem euectus eſt, in Orat. paneg. in Orig. p. 186. ſeqq. Berytum vocat *πόλιν Ῥωμαϊκωτέραν πῶς, καὶ τῶν νόμων τούτων πιςευθεῖσαν παιδευτήριον. vrbem plane Romanam, & legum Romanarum ſchola ornatam.* Nec minus eodem ſaeculo huius ſcholae meminerunt Diocletianus & Maximianus AA. *l. 1. C. qui aet. vel prof. excuſ.* Saeculo ſequente quarto tantus Berytum fiebat concurſus, vt Libanius Orat. XXVI. inuidia percitus, adoleſcentes abdicato eloquentiae ſtudio Berytum ad hauriendam iuris diſciplinam

contendere queratur. Enimuero hoc ipso saeculo IV triste huic scholae fatum incubuit, vrbe horibili terrae motu concussa, maximamque partem subuersa, de quo Cedren. in Annal. ad ann. Constantii XIII.

§. CCXCVIII.

Nec non quinto & sexto.

At reuiruit tamen mox schola celeberrima, siquidem insequente saeculo Non. in Dionysiac. Lib. XLI. extr. mirifice laudat legum studium quod Beryti ferueat, & Zacharias Mitylen. de opificio mundi p. 164. eamdem vocat μητέρα τῶν νόμων *matrem legum*, quemadmodum saeculo VI. a Iustiniano *ciuitas legum veneranda*, & *splendida metropolis*, *Const. Tanta §. 9. de conf. Dig.* nec non *legum nutrix* adpellatur *Const. omnem Reip. §. 7. ad antecess.* Auditoriorum splendorem ac magnificentiam laudant Geographus a Iac. Gothofredo primum editus p. 256. edit. Iac Gronou. & Zachar. Dial. de opif. Dei p. 160. Legum Professores tempore Iustiniani celebrantur Dorotheus, Anatolius, Salaminus, Theophilus, quorum in componendo iuris corpore non leuis fuit opera. De petulante

te denique ſtudioſorum nouitiorum initiatione, de qua *conſt. omnem reip. ſ. 9. ad Anteceſſ.* videndus Strauch. de Beryto Cap. V. §. 1. ſequ.

§ CCXCIX.

At vrbem florentem & ad inuidiam vſque felicem anno Iuſtiniani *XX.* terrae motus vna cum ingente ſtudioſorum multitudine iterum adeo ſubruit, vt praeter pauimenta nihil ſupereſſet. Et quamuis ſuperſtites Sidonem transferrent ſcholam, & ciues interea nihil facerent reliqui, vt vrbem inſtaurarent: hanc tamen veluti e ruinis prodeuntem noua excepit calamitas, incendium maximum, quo vrbs antiquiſſima, Phoeniciae poſt Tyrum metropolis, & colonia iuris Italici ſplendidiſſima, tota conflagrauit. * Quae fuſius narrat Agathias, ex eoque Menag. Amoen. Iur. Cap. XXIV. *Interitus miſerrimus.*

*) Exſtant in hanc Beryti ἅλωσιν elegantia epigrammata Graeca in Anthol. I, 68, 19. ſequ. quorum primum adſcribere iuuabit:

Ἅδ' ἐγὼ ἁ τλάμων ἄπολις πόλις, ἄμμιγα νεκροῖς

Ἐνναέταις κεῖμαι ἁ παναποτμοτάτα.

Ἡφαι-

Ἡφαιςός μ' ἐδάμασσε, μετὰ κλόνον ἐννοσιγαίȣ.
Φεῦ, ἀπὸ τοσσατίȣ κάλλεος εἰμὶ κόνις
Ἀλλὰ παρασείχοντες ἐμὰν ςοναχήσατε μοῖραν,
Σπήσατε Βηρυτῷ δάκρυα καὶ φθιμένα.

Heu nimium infelix vrbs, non vrbs, lumine cassis,
Fusa solo, en iaceo mixta cadaueribus.
Nec sat erat, me Neptuni sensisse tridentem:
Mulciberis cladem hanc addidit ira nouam.
Haec, mihi quae pridem fuerat pulcherrima forma,
Eheu, iam tenui puluere versa, iacet.
Vos quibus hac iter est, nostrae miserescite sortis,
Beryto & lacrymas post sua fata date.

§. CCC.

Constantinus M. quaedam & in rep. mutauit.

Sed vt ad Constantinum M. reuertamur, is non modo in iurisprudentia, vt supra diximus, plura innouauit, verum etiam totum orbem Romanum nouo modo in quatuor praefecturas praetorii distribuit, Zosim, II, 33. Philipp. Beret. Pithan. Diatr. I. Quin, translata Constantino-

tinopolin ſede imperii, & Epiſcoporum Romanorum ambitioni viam, qua ad ſummam, quam in eccleſia adfectabant, monarchiam contenderent, muniuit, & barbaris occaſionem dedit, occidentem ſuis incurſionibus lacerandi, nouaque ſibi in prouinciis praeſtantiſſimis quaerendi imperia.

§. CCCI.

Iudicium de eo.

Acriter actiones Conſtantini plerasque perſtringunt Zoſimus, Iulianus ὁ παραβάτης, quin & recentiorum ſcriptorum haut pauci. Contra eum eximiis laudibus in caelum euehunt Euſebius in vita Conſtantini M. & ſcriptores Chriſtiani alii. Sed vt vtrinque adfectus migrauit in calamos, paganis ſacrorum ſuorum euerſorem peroſis, Chriſtianis contra Conſtantini munificentiam ac patrocinium ſibi maxime gratulantibus: illi procul dubio Ioue aequo de hoc principe iudicabunt, qui nec naeuos eius diſſimulant, & iuſtum pretium ſtatuunt virtutibus eius eximiis.

§. CCCII.

Cur his temporibus prodierint

ICtis eorum temporum, quorum plerique adhuc Deorum cultui dediti fuiſſe videntur, nihil magis in Conſtantino M. diſ-

Codex Gregorianus & Hermogen. displicuit, quam quod iurisprudentiam, cui adsueti erant, innumeris quotidie constitutionibus emendaret, ac nouam ei veluti faciem daret. Inde metuentes constitutionum, quae ab Hadriani temporibus prodierant, ruinam, operam dederunt, vt eas colligerent in CODICES, *) & sic earum memoriam ad posteros conseruarent. Iac. Gothofred. Prolegom. Cod. Theod. Cap. I.

*) Libros, in quibus constitutiones principum colligebantur, κατ' ἐξοχὴν dictos esse *codices*, eosque quadratae formae fuisse, docuit Schulting. ad Paull. Recept. Sent. III, 6. 87. p. 377. Tanto facilius vero hanc operam in se tunc suscipere poterant GREGORIVS & HERMOGENES, quo plures exstabant ICtorum anteriorum collectiones, veluti IVLII PAVLLI *Imperialium Constitutionum libri sex*, *l. 113. ff. de cond. & dem.* PAPIRII IVSTI *Constitutionum Libri viginti*, & fortassis aliorum collectiones similes.

§. CCCIII.

Gregorianus Codex qualis fuerit? Prior huiusmodi opus confecisse videtur siue GREGORIVS siue GREGORIANVS *) nescio quis, qui Principum anteriorum ab Hadriano ad Constantinum M.

M. conſtitutiones & reſcripta collegit, & ſub certos redegit titulos. Sane quae ſuperſunt fragmenta, licet pauciſſima, ſiſtunt conſtitutiones Antoninorum, Seueri & Caracallae, Alexandri, Gordiani, Philippi, Valeriani & Gallieni, Cari, Carini & Numeriani, denique Diocletiani & collegarum, vt male Cuiac. princ. Paratitl. Cod. exiſtimet, Gregorium vltra Valeriani & Gallieni tempora non proceſſiſſe. Quamuis vero priuato conſilio primum inſtituta videatur haec collectio: magnam tamen eius auctoritatem poſtea fuiſſe, adparet ex interpretamento *l. vn. C. Theod. de reſp. prud.* Reliquias, quas Aniano debemus, poſt Sichardum, & Cuiacium nobis exhibuit V. C. Ant. Schulting. Iurispr. vet. anteiuſt. p. 682. ſequ.

*) De auctore fere omnia incerta, adeo vt dubium ſit, GREGORIVS, an GREGORIANVS fuerit adpellatus. Poſteriore enim ſub nomine citatur ab Auguſtino ad Pollent. II, 8. & a Pariatore Leg. Moſ. & Rom. I, 8. ſeqq. III, 4. VI, 4. X, 8. XV, 3. Quum tamen hic ſubaudire liceat ſubſtantiuum codex, & ſub Conſtantino M. floruerit Gregorius, praefectus praetorio, circa annum Chriſti CCCXXXVI. *l. 3. C. Theod.*

Theod. de ann & tribut. l. 2. C. Theod. de contrah. emt. l. 1. C. de natur. lib. non poenitenda est coniectura Iac. Gothofredi Proleg. Cod. Theod. Cap. 1. hunc ipsum huius codicis auctorem fuisse. Panciroli enim sententia, qui Gregorium hunc sub Valente & Gratiano Imp. scripsisse existimat, de Clar. Leg. Interp. l. 66. nullo idoneo nititur fundamento.

§. CCCIV.

Codicis Hermogeniani auctor.

Non multo posterior fuisse videtur HERMOGENIANVS iste, cui CODICEM HERMOGENIANVM debemus. Reinesius, ad Inscript. p. 70. qui notissimo loco Lampridii deceptus, Hermogenianum ICtum inter Alexandri Seueri Imp. consiliarios fuisse, existimabat, non poterat, quin negaret, eum hunc codicem scripsisse, ac proinde eum tribuere malebat Q. Clodio Hermogeniano Olybrio Praefecto vrbi anno Christ. *CCCLXV.* vel eius certe patri vel patruo. At quum Hermogeniani ICti aetatem in Constantini M. tempora omnino incidisse supra ostenderimus: *(§. CCXCIII.)* nihil sane impedit, quo minus, eum hunc codicem condidisse, cum Antonio Augustino & Iac. Gothofredo censeamus.

§. CCCV.

§. CCCV.

Tres eius editiones ab ipſo auctore factas eſſe, vulgo colligunt ex Sedulii Presbyt. praef. in opus Paſch. Sed locus iſte non minus de Hermogeniani epitomatis iuris, ac de codice Hermogeniano, poteſt intelligi. Ceterum maxima diligentia auctor collegiſſe videtur conſtitutiones Diocletiani & collegarum, adeoque veluti ſpicilegium inſtituiſſe poſt Gregorii meſſem. Fragmenta ſane quae ſuperſunt, Diocletiani & collegarum nomina praeferunt, * quamuis in his quaedam iam fuerint in Gregoriano codice, ſed paullulum diuerſa. Huius quoque Codicis reliquias nouiſſime debemus V. C. Ant. Schultingio, qui eas cum doctiſſimis adnotationibus ſuis edidit p. 709. Aliam tamen conſtitutionem ex hoc codice ſeruarunt Graeci interpretes, de qua Cuiac. Obſ. XII, 35.

Eiusdem materia & fragmenta.

* Tres tantum primae nomen *Aurelii* Aug. praeferunt. Aſt laudatiſſimus Schulting. p. 709. oſtendit, has quoque eſſe Diocletiani, vel Maximiani, quia vterque apud Grut. Inſc. p. CCLXXIX. & alibi vocatur C. AVRELIVS VALERIVS DIO-

CLETIANVS & M. AVRELIVS VALERIVS MAXIMIANVS.

§. CCCVI.

Status iuris Rom. sub Constantini successoribus ad Theodosium M.

A Constantino M. ad Theodosii iunioris tempora eadem per omnia, quae sub Constantino, fuit iurisprudentiae facies. Quemadmodum enim Constantinum M. laudat Nazar. Panegyr. *Cap. XXXVIII. quod nouas leges regendis moribus & frangendis vitiis constituerit, veterum calumniosas ambages resciderit, haeque captandae simplicitatis laqueos perdiderint:* ita & reliqui Christiani id fere agebant constitutionibus suis, vt ius Romanum ad maiorem simplicitatem, &, (vt Euseb. de vit. Const. IV, 26. de Constantino loquitur,) ἐπὶ τὸ ὁσιώτερον, *ad maiorem sanctitatem*, traducerent. Sic e. g. Constantinus, filius, *iuris formulas, aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus, radicitus amputauit. l. 1. C. de form. & impetrat. act. subl.* idemque cum fratribus permulta sanxit, ad euertendas paganorum superstitiones, & prouehendam religionem Christianam comparata.

§. CCCVII.

Iuliani A-

Solus IVLIANVS, ad pristinam super-

perſtitionem relapſus, quaedam conſtituit in Christianorum odium. Nam & templa Deorum aperuit, profanosque ritus vbique inſtaurauit, Amm. Marcell. XXII, 7. & Christianis honorum aditum interclusit, Sozom. Hiſt. Eccl. V, 15. Greg. Nazianz. Orat. I. & eosdem bonis artibus erudiri vetuit, Socrat. Hiſt. Eccl. III, 16. quod ipſi Ammiano Marcellino XXV, 15. *inclemens* viſum. Cetera princeps grauis & eruditus, multa praeclare conſtituit, Vid. Petri Cunaei praefat. ad Iuliani Caeſares, adeo, vt plerasque eius conſtitutiones in codicem ſuum poſtea recipere non dubitarit Theodoſius iunior, & nec impias quasdam omiſerit, Iac. Gothofr. Proleg. Cod. Theod. Cap. II. p. 181. *poſtatae conſtitutiones.*

§. CCCVIII.

Cito tranſiit haec nubecula, quod Athanaſius praedixerat apud Socrat. Hiſt. Eccl. III, 14. adeoque Conſtantini M. veſtigiis paullo poſt ſtrenue inſtiterunt IOVIANVS, VALENTINIANVS, & VALENS GRATIANVS & THEODOSIVS M. quorum plurimae exſtant conſtitutiones, ad eumdem finem comparatae, quem Chriſtianis Principibus pleris- *Nec non Iouiani & ſucceſſorum ad Theodoſium M.*

 que

que ob oculos fuiſſe, paullo ante (§. *CCCIII.*) obſeruauimus. Theodoſius ſane M. quantum laborarit, vt omnes antiqui iuris ambages, ſi quae reliquae eſſent, tolleret, oſtendent plures eius conſtitutiones, de quibus ſingularem commentarium promiſerat FRANC. BALDVINVS, qui tamen, an vnquam lucem viderit, neſcio. Inprimis memorandum VALENTIS edictum, quo liberum cuique reliquit, ſuo in colenda religione iudicio vti, * quod ſingulari Oratione de religionibus, quae latine tantum exſtat, collaudauit paganus, Themiſtius p. 155. edit. Harduini.

* Id tamen non tam, quod conſcientiae libertati faueret, quam vt Arianis ſuis libertatem daret, edixerat. Vnde ipſe poſtea catholicis grauis fuit, resque iam ad lanienam ſpectabat, niſi Chriſtianorum patrocinium ſuſcepiſſet paganus ille Themiſtius. Socrat. Hiſt. Eccl. IV, 3. Sozom. VI, 36. At eam quidem Themiſtii orationem intercidiſſe, aduerſus Ant. Pagi oſtendit Fabric. Biblioth. Graec. V, 18, p. 10. Tom. VIII. Similes ſunt Valentiniani conſtitutiones *l. 2. l. 3. l. 9. C. Theod. de malef. & math.*

§. CCCIX.

§. CCCIX.

Interim ea Imperatorum nimia diligentia factum est, vt in immensam molem excresceret iurisprudentia. Nam praeter tot ICtorum opera, quorum haut exigua erat in foro auctoritas, quorumque duo paene millia sua adhuc aetate exstitisse testatur Iustinianus, *l. 2. §. 1. C. de vet. iure enucl.* tam immensa erat constitutionum veterum & nouarum silua, vt Eunapius in vit. Aedes. p. 72. ius ciuile ἄχθος καμήλων πολλῶν, *multorum camelorum onus*, vocaret, & nullum fere paullo erectius ingenium isti labyrintho sese committere auderet. * *Misera Iurisprudentiae facies, & immensa moles.*

* Ostendit hoc egregiis antiquorum testimoniis Iac. Gothofred. Proleg. Cod. Theod. Cap. I. Mamertinus enim in Panegyr. Cap. XX. conqueritur, *iuris ciuilis scientiam, quae Manlios, Scaeuolas, Seruios, in amplissimum gradum dignitatis euexerit*, LIBERTORVM *artificium dici.* Et Asterius Amasen. Episc. qui sub finem saeculi V. vixit, homilia VII apud Phot. in Biblioth. Cod. CCLXXI. meminit serui Scythae, a ciue Antiocheno emti, qui ius professus sit, (αὐτὸς νόμων ὤφθη διδάσκαλος,) quem ipse ius docentem audi-

uerit. Sed nemo eorum temporum ICtos, eorumque ignorantiam, fastum, & caninum latrandi rodendique studium elegantius descripsit Ammiano Marcell. XXX, 4. qui locus tamen prolixior est, quam vt hic locum inueniat.

§. CCCX.

Theodosii II. & Valentiniani constitutio de responsis prudentum.

Remedium huic malo inuenisse sibi videbantur THEODOSIVS IVNIOR & VALENTINIANVS, edita anno *CCCCXXVI.* constitutione, qua Papiniani, Paulli, Caii, Vlpiani ac Modestini tantum opera, quaeque hi quinque viri ex aliorum veterum ICtorum operibus in sua transtulerant, exceptis Vlpiani & Paulli notis in Papinianum, sola in foro allegari permiserant, ita, vt plurium sententiae pauciores vincerent, & si pares essent, ea praeferretur, cui adstipuletur Papinianus. *l. vn. C. Th. de resp. prud.* Sed quam parum haec constitutio sapiat prudentiam legislatoriam, iam ab aliis est demonstratum. Quare eam ex codice suo merito exsulare iusserat Iustinianus.

§. CCCXI.

Codicis Theodosi-

Idem THEODOSIVS IVNIOR, anno *CCCCXXXIIX* constitutiones quoque

que Principum ad certum modum redigere studuit, & hinc quotquot a Constantini M. temporibus ad suam vsque aetatem prodierant, constitutiones, * per octo viros, quorum ANTIOCHVS, Expraefectus & consul, familiam duxit, digessit in codicem, qui ab ipso THEODOSIANVS adpellatur, eumque postea singulari constitutione confirmauit. Iac. Gothofred. Proleg. Cod. Theod. Cap. I. & sq. Eius quanta in Occidente, etiam post Iustiniani tempora, fuerit auctoritas, libro huius historiae secundo adparebit. Eum, qualis ab Aniano Gotho nobis relictus est, luculentis Iac. Gothofredi commentariis aliisque parergis illustratum, post eximii huius ICti obitum edidit Ant. Maruillius Lugd. *MDCCXVIII.* fol. Tom. VI. *ani compilatio.*

* Vocantur hae alias Constitutiones LEGITIMORVM PRINCIPVM: quod vulgo ita non sine bile interpretantur, ac si Theodosius solos, qui Christianam religionem professi essent, principes pro legitimis habuerit, quod & ipsi aliquando credidimus. Sed quid tunc fiet Iuliano, Apostatae, cuius tamen constitutiones in Codice Theodosiano vtramque faciunt paginam? Principes ergo legitimi opponuntur ty-

rannis, quorum tum plures imperium adfectauerant, veluti ſub Conſtantino M. *Maxentius*, *Licinius*, *Valens*, *Martinianus*, ſub eius filiis *Magnentius*, natione Francus, *Vetranio*, *Decentius*, *Nepotianus*, *Siluanus*, ſub Valentiniano & Valente *Procopius*, ſub Theodoſio M. *Maximus*, *Victor*, *Eugenius*, ſub eius filiis *Attalus*, *Conſtantinus* & *Conſtans*, *Iouinus* & *Sebaſtianus*, quorum omnium conſtitutiones, tamquam a principibus minime legitimis profectas, neglexiſſe animaduertimus Theodoſium.

§. CCCXII.

Nouellae Theodoſii II. & ſucceſſorum.

Quumque condito hoc Codice, nouellae ſubinde prodirent conſtitutiones, tum ipſius THEODOSII II, tum VALENTINIANI III MARTIANI, MAIORIANI aliorumque principum: eas quoque codici ſuo Theodoſiano ſubiecit laudatus Gothofredus.

§. CCCXIII.

Scholae iuridicae Romana & Conſtantinopolitana.

Sed maioris faciendum eſt Theodoſii noſtri ſtudium, quo litteras, & iurisprudentiam in primis, prouehere conatus eſt. Huic enim praecipue natales debent SCHOLAE ROMANA & CONSTANTINOPOLITANA, in quibus praeter oratores tres, Grammaticos decem

cem, ſophiſtas quinque, vnum philoſophum, duo erant profeſſores, *qui iuris & legum voluntates panderent*, quibus omnibus ſua auditoria adſignauit. *l. vn. C. de ſtud. lib. vrb. Rom. & Conſtantinop.* quam legem ſingulari ſtudio illuſtrauit Herm. Conringius. Ceterum quantus ex eo tempore concurſus Romam, quam *domicilium legum* vocat Sidon. Apollin. Epiſt. I, 6. praecipue factus ſit a cupida legum iuuentute, poſteriore libro exemplis oſtendetur. Conf. Sauaro ad Sidon. l. c. Franc. Iuret. ad Symmach. Epiſt. IX, 83. Alteſerra Rer. Aquit. III, 5.

§. CCCXIV.

Status iuris Rom. ſub Theodoſii II ſucceſſoribus ad Iuſtinianum.

Et talis quidem erat iurisprudentiae facies ſub Chriſtianis Imperatoribus etiam ſequentibus, vſque ad Iuſtinianum. Quae enim exſtant in Codice noſtro conſtitutiones MARCIANI, LEONIS, ZENONIS Iſaurici, ANASTASII & IVSTINI, Thracis, fere omnes ita comparatae ſunt, vt multa a maioribus prudenter conſtituta abolerent mutarentque, e. g. tutelam mulierum, de cuius hiſtoria a nobis in Antiqu. Rom. I, 13. & a V. C. Euer. Ottone ſingulari diſſertatione actum eſt:

quaedam tamen saluberrima sancirent, quibus etiam merito accenseas, quae Zenonem de pluris petitione constituisse refert Iustinianus *§. 33. Inst. de act.*

CAP. VI.

DE COMPILATIONE IVRIS IVSTINIANEI, EIVSQVE IN ORIENTE ET OCCIDENTE VSV ET FATIS, VSQVE AD NOSTRA TEMPORA.

§. CCCXV.

Iustiniani res praeclare gestae.

PRogredimur ad postremam iuris Romani periodum, quam a IVSTINIANI Imp. temporibus inchoamus. Hic princeps, gliscente iam barbarie, saeculo sexto ineunte, per Iustinum auunculum peruenit ad imperium, a barbaris misere adflictum & laceratum. Et tamen iste, vt vere ac iure gloriatur *pr. prooem. Inst.* & armis condecorauit, & legibus armauit rempublicam. Nam & Persas compescuit, &, victis Vandalis, Africam iterum fecit prouinciam, & Gothorum in Italia ac Sicilia regnum destruxit, tantasque res gessit, quantas vix vllus Impera-

peratorum ab Augusti temporibus. Procop. de Bell. Perſ. de bell. Vand. de bell. Gothico, Ill. Cancell. a Ludew. in Iustiniano Cap. VIII.

§. CCCXVI.

Anceps eius fama ob libros Procopii.

Et tamen veluti agmine facto in principem, tot rebus geſtis clarum, impetum hodie faciunt permulti, eiusque vitia & naeuos cum cura colligunt, nihilque faciunt libentius, quam vt & ipſum, & Theodoram vxorem, & Tribonianum, adminiſtrum, & totam eius aulam traducant. Quin vel eo ſolum nomine illis mirifice placent PROCOPII Ἀνέκδοτα, vel Hiſtoria Arcana, primum a Nic. Alam Lugd. *MDCXXIII.* fol. edita, quod ex eius pharetra petere poſſint tela, quibus Iuſtinianum confodiant. Sed quam multa ſcriptor iſte odio, tum aduerſus Iuſtinianum, * tum aduerſus religionem Chriſtianam ſuſcepto indulſerit, iam oſtenderunt GABRIEL TRIVORIVS in Obſeruatione Apologetica, IO. CHIFLETIVS in Diſſert. Apologetica de Iuris vtriusque architectis, quos libellos rariores nobis ampliſſimus Theſauri Iuris collector T. I. reſtituit, THOM. RIVIVS in Defenſione

ne Iuſtininiani, Francof. 1628. 8. IO. EICHELIVS in Animaduerſionibus ad Procopium, Helmſt. 1654. 4. editis, CHRISTOPH. ADAMVS RVPERTVS in Obſ. ad Beſoldum p. 465. ſequ. & nouiſſime illuſtris a LVDEWIG in Iuſtiniano, reconditae doctrinae opere, & ſuum apud poſteros quoque pretium habituro. Hal. *MDCCXXXI.* 4.

* Quid enim tuto credas homini, qui in reliquis libris ſuis Iuſtinianum laudibus veluti in coelum euehit, in Anecdotis vero ſiſtit tanquam principem fatuum & omnibus flagitiis coopertum, aut inſignis adulator, ſi priora falſa ſunt, aut, ſi poſteriora, calumniator turpiſſimus? Quid deinde tuto credas homini, qui eas ſaepe criminationes praefert, quae ipſa veriſimilitudine deſtituuntur, veluti de Theodorae artibus daemoniacis, & de Iuſtiniano ex incubo daemone nato, Anecdot. p. 57. quam anilem fabulam ipſum riſiſſe Procopium, ſum perſuaſiſſimus? Et tamen facile non haec tantum credunt viri docti, ſed & illas ſcriptoris maledicentiſſimi narratiunculas nouis augent calumniis, veluti quod Iuſtinianus fuerit ἀναλφάβητος, quod a fidei Chriſtianae puritate alienus fuerit, quae ſimiliaque ἐγκλήματα ſolide depulit

lit Vir doctissimus, Conr. Sam. Schurzfleisch in Iustiniano orthodoxo.

§. CCCXVII

Natus Iustinianus, si Zonarae fides, anno erae Dionys. *CCCCLXXXII.* die V. Maii, Achridae, inter Macedoniam & Illyricum sito oppido, quod deinde Iustinianus basilicis palatiisque ornatum ad metropoleos dignitatem euexit, & *Iustinianam primam* vocauit. Procop. de Aedif. Iustin. p. 167. sequ. Patrem habuit, Illyrico sermone *Istocum*, Latine *Sabatium* dictum, matrem *Biglenizam* vel *Vigilantiam*. Alamann. ad Procop. p. 69. Ipsi *Vpraudae* nomen initio fuisse ferunt. Theophan. apud Alam p. 68. Iustini Imp. auunculi ope primum ad consulatum, deinde ad patriciatum & comitiuam Domesticorum, hinc porro ad Nobilissimatum, ac demum ad Augustum fastigium peruenit, viuo adhuc auunculo, anno Chr. DXXVII Kal. April. Zonar. Annal. Lib. XIV. p. 60. Euagr. Hist. eccl. IV, 9 Procop. Anecdot. p. 37. Mortuo quatuor mensibus post Iustino, ipse solus rerum potitus, annos imperauit XXXVIII, caesisque hostibus, pacata, quoad liceret, eccle-

Eius aetas & vita.

ecclesia, conditis exornatisque vrbibus, & legibus Romanis restitutis, immortalem gloriam meritus, senex decessit anno DLXV. die XIV. Nou. Chron. Alex. ad h. ann.

§. CCCXVIII.

Codex Iustinianeus confectus. Quum ergo animaduerteret princeps, miserrimam esse iurisprudentiae faciem: de iure in concinniorem ordinem ac ad certum modum redigendo, serio cogitauit, primumque anno DXXVIII decem viris, inter quos & TRIBONIANVS erat, negotium dedit, vt ex tribus, qui tum exstabant, codicibus constitutiones vtiliores seligerent, easque, resectis praefationibus, & mutatis iis, quae eorum temporum foro minus concinna viderentur, vna cum iis, quas ipse adhuc edidisset, in XII libros certosque titulos digererent. *Const. Haec quae necessario. de nouo Cod. fac.* Eum sequente anno absolutum, IVSTINIANEVM vocauit, Paull. Diac. Hist. Langob. I, 25. Ioann. Antioch. p. 183. editaque anno DXXIX. VII. Id. Apr. constitutione publicauit, & suppressis tribus istis codicibus, solum in foro pro norma haberi

beri iussit. *Const. summam reip. §. 3. & 5. de Iustin. Cod. confirm.*

§. CCCXIX.

Itemque Pandectae.

Deinde, quum maximum solidioris iurisprudentiae thesaurum in veterum ICtorum scriptis latitare non ignoraret, & haec tamen fere manibus hominum excidissent: anno DXXX. XVIII. Kal. Ian. illa cum cura conquiri, & periochas, quae in foro vsum praestare possent, inde decerptas, & aliquando, si ita videretur, mutatas interpolatasque in L. libros, certosque titulos colligi iussit. Perfecerunt hoc opus *Tribonianus* aliique XVI viri, quos ei adiunxerat Iustinianus, & quidem intra triennium, quum initio decennium, illis ad hunc laborem concessisset, idque Iustinianus DIGESTA vel PANDECTAS, veterum exemplo, * vocauit, *quod omnes disputationes & decisiones in se haberet legitimas, &, quod vndique esset collectum, in sinus suos recepisset. l. 2. §. 1. C. de vet. iur. enucl.* Paull. Diac. Hist. Langob. I, 25.

* Familiarem admodum veteribus ICtis fuisse hunc titulum, exemplis *Iuliani, Alpheni, Celsi, Marcelli, Ceruidii Scaeuolae,* qui libros

bros suos DIGESTA inscripserunt, nec non *Vlpiani & Modestini*, qui PANDECTAS reliquerunt, constat. Et generatim ICtos huiusmodi inscriptionibus librorum delectatos esse, obseruat Merill. Obs. VII, 34. Quin ICtorum praecipue titulos in animo habuisse videtur Gell. in praefatione, dum *festiuitates inscriptionum*, *quas vtriusque linguae scriptores in suis libris fecerint*, commemorat. Inter eas enim sunt *libri LECTIONVM*, ANTIQVARVM LECTIONVM, PANDECTARVM, MEMORIALIVM, CONIECTANEORVM, EPISTOLARVM & EPISTOLICARVM QVAESTIONVM, quibus inscriptionibus ICtos praecipue delectatos, nouimus. Vocabulo πανδέκτη conuenire Hebraicum כלבו *Colbo*, quo Rabbini aliquos libros inscripserunt, obseruat Huber. Praelect. ad Pand. Prooem. §. II.

§. CCCXX.

Earum ordo.

Librum hunc, quem ipse Imp. in septem partes diuisit, maxime ad Edicti perpetui ordinem dispositum animaduertimus, non tamen per omnia. Nam & praemisit quaedam de statu hominum, de iure rerum, & de magistratibus, quae in pandectis locum non habuerunt: & quaedam, quae primo loco ibi tractata erant, velu-

veluti de magiſtratibus municipalibus, de fugitiuis, damni infecti cautione, in alia plane loca reiecerunt, & quaedam interiecerunt de hypothecis, de euictionibus, de eo, quod falſo tutore auctore geſtum fuerit, quae vel plane non, vel alio loco in edicto occurrerunt: & denique ſub finem adiecere permulta de criminibus & iure publico, quorum nullum in edicto veſtigium notamus. Ceterum ne de nouo corrumperetur opus, magno labore elaboratum, Iuſtinianus & per notas & ſigla Digeſta ſcribi vetuit, *l. 2. ſ. 22. C. de vet. iur. enucl.* & a ICtis non alios libros in ea ſcribi voluit, quam PARATITLA, *l. 2. ſ. 21. C. de Vet. iur. enucl.* quae quid fuerint, docent Aeg. Menag. Amoen. Iur. cap. XV. & Ian. a Coſta Praefat. ad Summar. Libri I. Decretal.

§. CCCXXI.

Perfecto illo Pandectarum corpore, at nondum promulgato, tribus viris, Triboniano, Theophilo & Dorotheo negotium dederat Iuſtinianus, vt INSTITVTIONVM *libros IV.* ex veterum ICtorum compendiis, ac CAII potiſſimum Inſtitutionibus, adornarent, vt illae eſſent to- *Inſtitutiones.*

X tius

tius legitimae ſcientiae prima elementa. *prooem. Inſt. ſſ. 2. 6.* Eum libellum, quamuis poſt pandectas conditum prius tamen, quam illas, publicauit XI. Kal. Dec. anno DXXXIII. eidemque pleniſſimum Imperialium conſtitutionum robur accommodauit. *ſſ. 6. prooem. Inſt.*

§. CCCXXII.

Paullo poſt XVII. Kalend. Ian. anni *DXXXIII.* totum hoc corpus iuris, adeoque & DIGESTA, conſtitutionibus binis, Latina altera, altera Graeca, confirmauit, illudque a III. Kal. Ian. in foro valere, & in ſcholis Romana, Conſtantinopolitana & Berytenſi publice praelegi iusſit, praeſcripta ſimul methodo, qua per quinque illos annos, quos iuris ſtudio dare ſolerent iuuenes, Profeſſores vterentur, quin & inuentis nominibus paullo honeſtioribus, quibus ſingulis annis iuris ſtudioſi vocarentur. * *Conſt. omnem reip. ſſ. 1. 2. ad Anteceſſ.*

* *Primo* enim *anno*, dum Inſtitutiones & πρῶτα Pandectarum audiebant, pro DVPONDIIS vocabantur IVSTINIANEI NOVI. *Secundo*, audientes vel alteram vel tertiam Digeſtorum partem vna cum

do-

doctrinis de tutela, legatis, fideicommissis, EDICTALES audiebant. *Tertio anno*, percepta secunda vel tertia parte Digestorum, (nam alternis vicibus eas praelegi iusserat Iustinianus,) nec non degustatis doctrinis de hypothecis, vsuris, edicto Aedilitio, lectis denique Papiniani, fragmentis per tota Digesta dispersis, PAPINIANISTARVM nomen non sine laetitia festo die sumebant. His vbi *quarto anno* accesserant reliquae Pandectarum partes, LYTAE; ac denique, auditis *quinto anno* praelectionibus in Codicem, PROLYTAE adpellabantur.

§. CCCXXIII.

Quinquaginta Decisiones & Codex repetitae praelectionis.

Obseruauit paullo post Iustinianus, non modo quasdam dissensiones veterum ICtorum superesse, ex diuersis sectarum principiis ortas, sed & Codicem Iustinianeum non adeo bene cum Pandectis congruere. Itaque non modo QVINQVAGINTA DECISIONIBVS, Lampadio & Oreste Coss. & insequentibus annis scriptis, antiquas istas altercationes composuit,* verum etiam totum codicem refingi iussit, constitutionibus aliis illo eiectis, aliisque nouis insertis, inter quas & quinquaginta illae decisiones reperiuntur. Hunc

REPETITAE PRAELECTIONIS CODICEM, ſuppreſſo priore Iuſtinianeo, publicauit XVI. Kal. Dec. anno *DXXXIV. Conſt. Cordi nobis. de emendat. Cod.*

* At multo plures in Codice noſtro occurrunt conſtitutiones, Lampadio & Oreſte Coſſ. annisque ſequentibus editae, quam quinquaginta. Sed iam Em. Merillius, qui has deciſiones maxima cura collegit, ſuisque commentariis illuſtrauit Pariſ. MDCXVIII, 4. in Prolegomenis eleganter oſtendit, vnam ſaepe in plures particulas diſſectam eſſe a noui iſtius Codicis auctoribus, ac praeterea non ſufficere illam notam a tempore deſumtam, ſed praecipue etiam in ipſa conſtitutione conſiderandum eſſe, an ius ambiguum in ea decidatur. Praeter Em. Merillii Commentarium ſimilis labor exercuit Io. Strauchium, cui tamen colophonem haut impoſuit vir doctiſſimus.

§. CCCXXIV.

Nouellae. Quum vero Iuſtinianus, condito corpore iuris, diu adhuc imperaret: non mirum eſt, eum haut paucas ſubinde edidiſſe conſtitutiones nouellas, quarum pleraſque Graece ſcriptas eſſe, nemo dubitauerit. Promiſerat earum collectionem

ipſe

ipſe Iuſtinianus in *Conſt. Cordi nobis ſ. 4. de emend. Cod.* quin & praeſtiterat promiſſum, teſtibus Io. Antioch. in Iuſtiniano p. 168. Agathia Lib. V. p. 140. & multo clarius Paullo Diac. Hiſt. Longob. I, 25. quippe qui Iuſtinianum *nouas quoque leges, quas ipſe ſtatuerat, in vnum volumen redactas, codicem* NOVELLARVM *vocari ſanxiſſe*, ſcribit. Et volumen ſane illud, a Iuſtiniano editum, idem videtur cum illo, quod hodie eſt pars corporis iuris, quodque in NOVEM COLLATIONES diſtinctum videmus, quamuis pro authentico textu habeamus verſionem Latinam, antiquam illam quidem, quippe qua iam Gregorius M. Papa Epiſt. XI, 53. vſus eſt, aliquando & ſatis accuratam, Cuiac. Obſ. VIII, 40. ſed barbaram tamen, & hinc ſubinde obſcuriſſimam. *

* At quum ipſas conſtitutiones Graecas iam editas habeamus ab Haloandro, Heruagio, Scrimgero, Ruſſardo: Graecarum litterarum non imperiti inde facile genuinum ſenſum haurient. Quin notum eſt, nouam e Graeco textu verſionem adornaſſe V. C. Io. Fridr. Hombergk. zu Vach, quae prodiit Marp. MDCC XVII, 4. Sed textum tamen in foro non alium, quam il-

lum semibarbarum, receptum esse, recte obseruant Alb. Gentil. de libr. Iur. Ciu. Cap. VII & Arthur. Duck de auctoritate iur. ciu. I, 4, 16.

§. CCCXXV.

Naeui, quos in hoc corpore Iustinianeo obseruant.

Hoc est praeclarum illud iuris ciuilis corpus, quod per tot saecula gentibus sagacissimis admirationi fuit. Et tamen in illud etiam imperitissimus quisque hodie calamum impune stringit, dum alii ipsorum auctorum imperitiam ac stupiditatem accusant, alii meras antinomias & contradictiones somniant, alii in methodum, stilum, & librorum ordinem ac numerum inuehuntur: alii ipsum ius Romanum iniquitatis arguunt. Quin sunt, qui & minima in Iustiniano non ferunt, veluti quod de perfecto hoc opere gloriatus sit, *l. 1. §. 2. C. de vet. iur. enucl.* quod codicem a suo nomine Iustinianeum dixerit, quod Pandectas in septem ac non plures pauciores ue partes, Institutiones in quatuor libros, ac non potius in tres, distinxerit: quod nobis reliquerit ius iniquum, incertum & male cohaerens, & quae sunt huius generis alia. Longa enim est ea fabula, quam mira industria perpolire stu-

du-

duerunt FRANC. HOTOMANVS in Antitriboniano, FRANC. BALDVINVS in Iuſtiniano, FRANC. MAESTERTIVS de iuſtitia legum Romanarum, BERN. AVTVMNVS in Cenſura Gallica in ius Rom. vt non dicamus de ANT. FABRO, ANT. MATTHAEO, IO. WISSENBACHIO, & recentioribus, qui in hoc muſtaceo laureolam quaerunt, quam plurimis.

§. CCCXXVI.

Iudicium de illis.

Sed, qui ipſe olim in ea haereſi fui, quo magis in iure profeci, eo magis ab illa abhorrere coepi. Credo equidem, ipſum Iuſtinianum hominem ſe agnouiſſe, nihilque humani a ſe alienum putaſſe. Fateor etiam, non incidiſſe eum in illa tempora, quae opus quoddam Daedaleum & quouis Phidiae ſigno perfectius producere potuerint. Pleraque tamen, quae tanto ſupercilio notant cenſores quidam vitio creati, proba eſſe, expertus ſum. Criminationes vero tantum non omnes a viris harum rerum intelligentibus tam praeclare dilutas eſſe animaduerti, vt cauſſa perorata videatur. *

* Prae ceteris commendati merentur VLR.

HVBERI *Eunomia Romana*, opus postumum, editum a filio amplissimo, mihique amicissimo, ZACHARIA HVBERO, ac recusum Amst. M DCC XXIV. 4. nec non virorum illustrium HENR. & SAM. DE COCCEIIS opera pleraque, in quibus haec calumnia non verbis, sed reipsa, depellitur, dum quae aliis desperata visa sunt, felicissima industria explicarunt, & quae pugnantia habita ita, reuocarunt in concordiam, vt immortalem inierint gratiam ab omnibus, quibus solidior iurisprudentia cordi est.

§. CCCXXVII.

Graece versae Institutiones.

Iam vero porro quaeritur, quae fata iuris huius Iustinianei tum in oriente, tum in occidente, fuerint? Et hic quidem dubitari nequit, quin in oriente vbique statim receptum sit, tum in foro, tum in scholis iuridicis. Quum vero iudices & antecessores plerique parum gnari essent linguae Latinae: ipsis Iustiniani temporibus libros iuris in Graecam linguam transferre coeperunt. Et Institutionum quidem elegantem Paraphrasin debemus THEOPHILO, quem Iustiniani temporibus floruisse, docent loca, vbi de Iustiniano vtitur verbis: ἡμέτερον βασιλέα, *Imperatorem*

rem nostrum §. 1. Inst. de vsuc. θειοτάτȣ ἡμῶν δεσπότȣ, *religiosissimi Imperatoris nostri, §. 12. Inst. eod.* ἐφοίτησε τȣ̃ ἡμετέρȣ βασιλέως διάταξις, ἣν ἔναγχος ἐξεφώνησε. *Exstat & principis nostri constitutio, quam nuper emisit:* itemque εὐσεβεστάτη ἡμῶν δεσπόινη, *religiosissima Domina nostra, §. vlt. Inst. eod.* Quae quum ex Latino Institutionum textu non sint, manifesto probant, auctorem Iustiniani temporibus scripsisse. * Gundlingian. P. II. obs. II. Vnde nihil prohibet, quo minus eumdem dicamus, cum Theophilo, Antecessore Constantinop. cuius in componendo corpore iuris opera vsus est Iustinianus. Prodiit haec Paraphrasis post editionem VIGLII ZVICHEMI Bas. 1534. fol. & Lou. 1536. 4. & IAC. CVRTII Lugd. 1581. cum animaduersionibus CAR. ANNIB. FABROTTI Paris. 1638. & 1657. 4.

* Fallitur ergo Cuiacius, qui Theophilitzen vocat hunc Paraphrasten, & eum Accursio iuniorem facit, in *Recit. ad tit. Inst. de action.* Falluntur, qui ei multos errores adfingunt, quum pleraque recte se habeant. Illud vnum mirandum, viuo Iustiniano id sibi sumsisse Theophilum, vt vberiorem scriberet Institutionum paraphrasin, quum

Iuſtinianus verſiones tantum κατὰ πόδας permiſerit, *l. 2. §. 21. C. de vet. iur. enucl.*

§. CCCXXVIII.

Itemque Digeſta & Codex Iuliani. Verſio Lat. Nouellarum.

Eamdem operam Pandectis praeſtitit THALELAEVS, & ipſe Iuſtiniano σύγχρονος, cuius verſio Graeca Pandectarum ſaepiſſime in libris βασιλικῶν laudatur. Quin & verſiones STEPHANI εἰς πλάτος, CYRILLI κατ' ἐπιτομὴν, DOROTHEI κατὰ μέσην τάξιν laudat Matth. Blaſtares p. 370. apud Fabric. Bibl. Graec. Tom. XII. & p. 370. & Ioſ. Mar. Suareſ. Notit. Baſilic. §. XIX. Sed & Codicem Graece ſiue a Thalelaeo, ſiue ab aliis, verſum exſtitiſſe ferunt, eumque ſibi viſum eſſe adfirmabat Marqu. Freherus. Suareſ. ibid. §. XX. Denique vice verſa Conſtitutiones Nouellas, CXX. iam tum Graece maximam partem ſcriptas, circa annum DLXX reſectis praefationibus, in epitomen contraxit, & elegante Latinitate donauit IVLIANVS Patricius, Exconſul & Anteceſſor Conſtantinopolitanus. Quam epitomen cum ſaepius, tum cura Franciſci Pithoei, editam nouimus Baſil. 1567. fol.

§. CCCXXIX.

Baſilicῶν origo.

Et verſionibus quidem illis Graecis, nouel-

uellisque, eadem lingua ſcriptis, in foris ſcholisque vtebantur ſaeculis inſequentibus ſeptimo & octauo, donec de eo in compendium mittendo ſaeculo nono cogitare inciperent Imperatores Byzantini. Ex his primum BASILIVS MACEDO anno *DCCCXXXVIII* ediderat πρόχειρον τῶν νόμων, quod conſtabat titulis quadraginta. Suareſ. Notit. Baſilic. §. III. Deinde LEO, σοφὸς, patri Baſilico ſuccedens, collectionem illam paternam perfecit, eamque ſub titulo διατάξεων βασιλικῶν promulgauit anno Chriſti *DCCC LXXXVI.* * Suareſ. ibid. §. X. Denique ſubſequutus Leonem CONSTANTINVS, cognomento Porphyrogeneta, paternum opus ſub incudem reuocauit, & libros illos ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ publicauit ſub initium ſaeculi decimi. Suareſ. ibid. §. XII. ſequ.

* Eiusdem LEONIS Imp. ſunt Nouellae CXIII, quas primum Graece ex Stephaniana edidit Henr. Scrimgerus, Paris MDLVIII. fol. poſtea Latine Henr. Agylaeus Paris 1560 8. Vnde poſtea permultis iuris Iuſtinianei editionibus ſubiectae ſunt. Harum nec apud nos vllam eſſe auctoritatem, nec olim in ipſa Graecia fuiſſe,

fuiſſe, exiſtimauit Cuiac. Obſ. XVII, 31. Contra easdem, & olim valuiſſe in Graecia, & ne hodie quidem ibi extra vſum eſſe, ex Chriſtoph. Angel. de Statu eccl. Graecae p. 112. & 115. docet V. A. Corn. van Bynkersh. Obſ. IV, 1. p. 385.

§. CCCXXX.

Quales hi libri?

Et hi quidem ſunt libri illi ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ, ex Graeca Inſtitutionum, Pandectarum, Codicis verſione, nec non Iuſtiniani Nouellis & edictis tredecim, nec non ex ICtorum quorundam Orientalium Paratitlis aliisque libris, quin & patribus ac conciliis collecti, ita tamen, vt multa omiſſa videamus, quae fortaſſis tum ab vſu receſſerant, multas etiam leges in compendium contractas animaduertamus. Libri iſti in ſexaginta libros diuiſi, praeter pauca, quae nondum integra reperiri potuerunt, cum Gloſſis Graece & Latine editi ſunt a CAR. HANNIB. FABROTTO. Pariſ. 1647. fol. Vol. VII.

§ CCCXXXI.

Vſus huius iuris ſaeculo XI. quo Mich. Ataliotas

Inſequentibus etiam ſaeculis ius Romanum, quale in Baſilicῶν libris reperitur, in oriente floruiſſe, euincunt tot opera Graecorum iuridica, quae partim ſepa-

ſeparatim prodierunt, partim ENIMVNDI BONEFIDII iuri Orientali, edito Pariſ. 1573. 8v. IO. LEVNCLAVII iuri Graeco Romano a Marqu. Frehero locupletato editoque Francof. 1596. fol. Tom. II. inſerta ſunt. Sic ſaeculo vndecimo MICH. ATALIOTA, Iudex & Procoſ. ſcripſit πόνημα ſeu πραγματικὴν, a Leunclauio ſub titulo σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεων editam Tom. II. p. 1. iisdemque temporibus MICH. PSELLVS iunior, vir πολυγραφώτατος, primum ad Conſtantinum Ducam, deinde & Alexium, ac demum ad Nicephorum, Impp. verſibus politicis edidit Σύνοψιν νόμων: Leo Allat. de Pſellis eorumque ſcript. §. XLVIII. quam Graece & Latin. edidit Bosquetus Pariſ. MDCXXXII, 8. * *& Mich. Pſellus floruere.*

* Saeculo quoque XII. in Oriente, & Conſtantinopoli maxime iuris Romani ſtudia floruiſſe, vel inde patet quod Irnerium ius Conſtantinopoli didiciſſe, neſcio quo auctore, docet Innoc. Ciron. Obſ. Iur. Can. V, 5.

§. CCCXXXII.

Sequente ſaeculo XIII. floruit THEODORVS BALSAMON, qui PHOTII *Item ſaec. XIII. & XIV. qui-*

No-

bus scripsere Balsamon & Harmenopulus. Nomocanonem suis commentariis illustrauit, in quibus permulta exstant iuris Romani, ex Basilicis depromti, vestigia. Ediderunt eum Guil. Voellus & Henr. Iustellus in Biblioth. Graeco Latina Iur. Can. Tom. II. p. 1312. sequ. Seculo XIV, non duodecimo, vt Suaresio aliisque visum, floruit CONSTANTINVS HARMENOPVLVS, edidítque πρόχειρον τῶν νόμων, seu *Promtuarium iuris*, quod post Adami Suallenbergii Graecam, aliasque Bernardi Rey & Merceri Latinas editiones Graece & Latine cum adnotationibus suis edidit Dionys. Gothofredus MDLXXXVII. 4.

§. CCCXXXIII.

Constantinopoli capta & Turcae & Graeci vsum aliquem iuris Rom. conseruarunt. Saeculum decimum quintum finem attulit orientali Graecorum imperio, capta anno *MCCCCLIII.* a Turcis Constantinopoli, & toto illo Orientis tractu ab iisdem barbaris oppresso. Iisdem ergo temporibus & ius Romanum in Oriente procul dubio exoleuit, at non penitus tamen, si recentioribus quibusdam fides habenda est, quippe qui & apud Turcas, & apud Graecos, aliquem iuris Romani vsum hodienum superesse, referunt. *

* Tur-

* Turcas enim Codicem Iustinianeum in sua lingua habere, eoque in foris suis vti, primus testis αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος adfirmauit Leunclau. in Praefat. ad libros III. Paratitl. Ex Ism. Bullialdo quoque saepe audiuisse se refert Menag. Amoen. Iur. Ciu. Cap. XXVI. *Turcos pleraque ex legibus Romanorum in suas transfudisse, & praecipue quae ad materiam seruitutium spectent.* De vsu Nouellarum Leonis apud hodiernos Graecos iam supra diximus. (§. CCC XXIX. *)

§. CCCXXXIV.

In occidente maior erat Codicis Theodosiani auctoritas.

Ex oriente in OCCIDENTEM reuertimur. In eo quaedam prouinciae Francis, Burgundionibus, Gothis cesserant, quaedam a Iustiniano barbaris felici Marte ereptae erant, veluti Italia, Sicilia & Africa. In illis quidam iuris Romani vsus superfuit, at non Iustinianei, verum Theodosiani, quocum Caii Institutiones, Paulli sententias & alia quaedam veterum ICtorum fragmenta coniungere solebant. Demonstrarunt hoc ex instituto Herm. Conring. de Orig. Iur. Germ. Cap. IV. & V. Io. Selden. in dissert. ad Fletam V, 2. seq. Iac. Gothofr. in Prol. Cod. Theod. Cap.

III.

III. Innoc. Ciron. Obſ. Iur. Can. V, 2. Sed & nos Lib. II. ea de re pluribus agemus.

§. CCCXXXV.

Ius tamen Iuſtinianeum in Italia & Africa floruit.

At in Italia, & procul dubio in Africa quoque, vſus iuris Iuſtinianei fuit quotidianus. Ipſe enim Iuſtinianus illud vbique in orbe Romano obſeruari, ſolumque in academia etiam Romana doceri iuſſerat. l. 2. §. 23. & *l. 3. ſſ. 21. C. de vet. iur. enucl.* Et hoc ſibi velle arbitror auctorem Epigrammatis, Pandectis Florentinis praemiſſi, Iuſtiniano aut parem aetate, aut non multo iuniorem, dum inter alia cecinit:

Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτου τε Λιβύσσης,
Εὐρώπης τε πίθωνται ὅλου σημάντορι κόσμου.

Europae vero, atque Aſiae, Libyaeque ſubactae,
Vnum omnes populi Regem dominumque tuentur.

Ait enim poeta, Pandectarum opus non modo in Oriente, & Africa nuper recepta, ſed & in Europa, (Italia nimirum, Gothis extorta,) vna cum auctore eius Iu-

ſtiniano regnare. Coler. Parerg. II, 22. Tom. I. Theſ. iur.

§. CCCXXXVI.

Etiam ſub Langobardis & Francis.

Et quamuis paullo poſt circa annum DLXVIII. Italiam inuaderent Langobardi, regnumque ibi conſtituerent potentiſſimum: tamen non modo in Exarchatu Rauennatenſi iuri Iuſtinianeo pretium ſuum manſit, ſed & ipſi Langobardi Italis ſua cuique lege viuendi facultatem dederunt, ceu ex ipſa lege Langobardica I, 29, 2. II, 2, 1. adparet. Sane ſaeculo VII. nouellam CXIII citat Gregor. Epiſt. XI, 53. & alibi tum ad Codicem, tum ad Nouellas prouocat Lib. XII. Ep. 53. Item ſaeculo IX, quo iſtud Langobardorum regnum iam deſtruxerat Carolus M., ſaepe ius Romanorum ad partes vocant Hincmarus XVI, 5. XLIV, 32. LI. p. 587. LV. p. 440. 509. Tom. II. & Ioannes PP. VIII. apud Iuon. III, 98.

§. CCCXXXVII.

Vulgaris hiſtoria de reſtitutione iuris

Quamuis vero his temporibus Codex magis & Nouellae, quam Pandectae, in manibus hominum fuiſſe videantur: non ta-

Rom. sub Lothario III. tamen ideo existimandum est, eas plane intercidisse. Vulgo equidem referunt, Pandectarum codicem aliquem primum iterum repertum esse a Lothario III. Imp. in Amalphi vrbe, anno MCXXXVII. expugnata, eumque Imperatorem donasse Pisanis, qui illum classe instructissima adiuuerint. Pandectas vero illas Pisanas, quae iam Florentiae non sine veneratione quadam ostenduntur, occasionem dedisse & Irnerio, praelectiones in hunc librum instituendi Bononiae, * & Lothario, ius Romanum in scholas & fora introducendi. Sigon. de regn. Ital. Lib. XI. p. 270. Conf. Henr. Brenckm. Hist. Amalphit.

* Addunt, Irnerium initio Latinas litteras docuisse Bononiae; quumque explicaturo illi, quid sit AS, aqua haesisset, Pandectas adiisse, eumque deinde librum publice interpretatum esse Bononiae. Nota sunt illa Cardinalis Hostiensis in *c. 1. pr. X. de testam. n. 2. As, id est, duodecim vnciae. As ergo quandoque ponitur pro obolo propter quod verbum venit Bononiam studium ciuile, sicut audiui a Domino meo.* (Azone.)

§. CCCXXXVIII.

Quid de Enimuero vt posterius falsum esse, aduer-

uersus Nihusii & Bononiensium clamores solide demonstrauit Herm. Conringius: ita & tota illa historia de repertis Amalphi Pandectis, & restituto ea occasione iuris Romani studio, admodum suspecta est. Primo enim id veterum nemo tradit, & vir doctissimus, Lud. Ant. Murator. Script. Rer. Ital. Tomo XI. ad Fr. Raynerii de Grancis Pisani Poema de praeliis Tusciae, quod e saeculo demum XIV. est, obseruat, hunc primum fuisse, qui Lib. IV. Pandectas memoret in depopulatione vrbis Amalphitanae repertas, Pisasque translatas. Deinde nescio, quid Pisanos mouere potuerit, vt librum hunc pro nauatae operae pretio accipere voluerint, nisi ei iam tum aliquis apud Italos honor fuisset. Denique & Irnerius ante repertum illum Codicem ius ciuile Bononiae docuit anno MCXXVIII, ceu ipsi Bononienses in Epistola ad Nihusium fatentur, & ante eum, teste Odofredo *ad l. 1. ff. de iust. & iure* Pepo leges priuata auctoritate professus est.

ea sentiendum.

§. CCCXXXIX.

Res itaque, nisi me omnia fallunt, ita

Quomodo

iuris studium Bononiae florere coeperit. ita se habet. Iuris ciuilis in foris Italiae iam a Iustiniani temporibus magna fuerat auctoritas. At quum in scholis, rudibus istis saeculis, vix quisquam reperiretur, qui cupidae legum iuuentuti viam ad ius ciuile monstraret: Bononiae eam artem profiteri coepit primum PEPO, ac deinde IRNERIVS, Germanus, quem Constantinopoli ius didicisse, scribit Innoc. Ciron. Obs. Iur. can. V, 5. Ex eo quum plures profecissent, iique & ipsi scholas iuridicas aperirent: tantus vndique Bononiam factus est concursus, vt ius ciuile plerisque tum primum renasci videretur. Inde & in Gallia Placentinus; in Anglia Rogerius postea que Accursius, alibi alii ius Romanum professi sunt, vt breui in vniuersa Europa id studium propagaretur.

§. CCCXL.

Primi qui ibi post Irnerium sub Friderico I. ius docuerunt. Hinc iam sub Fridrico I. Imp. clari fuerunt primi Irnerii discipuli MARTINVS GROSIAS, Cremonensis, BVLGARVS, HVGO DE PORTA RAVENNATE, & IACOBVS HVGOLINVS, quos Imperator, quum anno Christi MCLVIII.

co-

comitia haberet in campis Roncalienſibus, in conſilium adhibuit. Radeuic. de Geſt. Fridr. Imp. II, 5. Otto & Andr. Moren. de Reb. Laud. Tom. I. p. 818. quibus Bononiae ius docentibus, adeo ibi floruit ſchola, vt idem laudatiſſimus Princeps antequam expeditionem in Palaeſtinam ſuſciperet, peregrinos Bononiam ſtudiorum cauſſa confluentes pulcherrimo ornaret priuilegio, quod inſertum eſt Codici Iuſtinianeo in *Auth. Habita C. ne fil. pro patre.*

§. CCCXLI.

Eorum ſucceſſores.

Praeter quatuor iſtos inter primos ICtos Bononienſes celebrantur ROGERIVS VACARIVS, qui in Angliam ius ciuile intulit, Io. Sarisb. Policrat. VIII, 22. Selden. Diſſ. ad Flet. VII, 2 ſequ. OTTO, PLACENTINVS, qui primus Montispeſſuli iura interpretatus eſt, PYLEVS, qui Bononiae & Mutinae docuit, ALBERICVS A PORTA RAVENNATE, AZO, ICtorum ſua aetate princeps, & non minor hoc praeceptore ſuo FRANC. ACCVRSIVS, Florentinus, cuius in illis tenebris doctrinam admirabilem ipſi

laudant Cuiac. Obſ. XII, 16. & Iac. Duaren. apud Mornac. ad *l. 2. ſ. hoc autem C. de vet. iur. enucl.* quod eo magis mirandum, quo tardius eum, quippe iam quadragenario maiorem, ad ſtudia ſe contuliſſe ſcribunt. Vid. Guid. Panciroł. de Clar. Leg. Interpr. II, 29.

§. CCCXLII.

Summae & Gloſſae ab illis ſcriptae. Hi non modo viua voce iura publice docuerunt, ſed & ſcriptis ſuis iſta illuſtrare conati ſunt. Eorum vero ſcribendi labor in eo conſtitit, vt quidam ius in breuiores veluti poſitiones, vel, vti ipſi vocabant, *ſummas* contraherent, alii in partiendo augendoque corpore iuris deſudarent, alii Graecorum exemplo breuiores *gloſſas*, ſeu ſcholia, ſingulis iuris partibus adiicerent. Inter *ſummiſtas*, quos vocant praecipui ſunt ROGERIVS & AZO, cuius *Summa aurea* prodiit Lugd. 1596. 4to. Gloſſas vero aliorum, & maxime AZONIS collegit, ſuasque adiecit FRANC. ACCVRSIVS, atque ita anno *MCCXX* perfecta eſt illa GLOSSA, quae deinde corpori iuris addita non minorem fere in foro auctoritatem, quam ipſae leges obtinuerunt. *

q Nos

* Nota sunt illa Raphaelis Fulgosii in *l. si solutum C. de obl. & act. Nostis, quanta sit auctoritas Glossatoris. Nam heri dixit Cynus, Glossam timendam propter praescriptam idololatriam per aduocatos, significans, quod sicut antiqui adorabant idola pro Diis, ita aduocati adorent Glossatores pro Euangelistis. Volo enim pro me potius Glossatorem, quam textum. Nam si allego textum, dicunt aduocati diuersae partis, & etiam iudices: Credis tu, quod Glossa non ita viderit illum textum, sicut tu, & non ita bene intellexerit, sicut tu? Ego recordor, & sit istud pro nouo, quod dum essem scholaris, eram satis acutus, & dum semel essemus socii multi in vna collatione, ausus fui vnum textum allegare contra sententiam doctoris mei: tantam audaciam habui. Dixit vnus socius, tu loqueris contra glossam, quae dicit sic. Et ego respondi, etsi glossa dicit sic, ego dico sic, ignarus auctoritatis glossatorum. Credebam enim, quod essent speciales apostillae, quae sunt in libris Grammaticae, sicut super Virgilio & Ouidio. Sed tamen non ita est. Fuerunt enim Glossatores maximae scientiae viri & auctoritatis.*

§. CCCXLIII.

Ad partiendum augendumque corpus iuris pertinet labor eorum, qui pandectas *Quid in Iustiniani*

libris innouarunt. in DIGESTVM VETVS, INFORTIATVM & NOVVM diuiserunt, quam ineptam partitionem tribuunt BVLGARO. Paullo magis operae pretium fecit siue BVLGARVSO, siue, vt alii malunt, BVRGVNDIO, qui Graecos in Pandectis & Codice textus Latinitate donauit. Pancirol. de Clar. Leg. Interpr. II, 15. Laur. Pignor. Epist. Symb. XXXIX. quamuis, vitiis haut carere illam versionem, ostenderit Menag. Amoen. Iur. Cap. XXXIII. Contra minus concinna est partitio Nouellarum in nouem partes, quas *nouem authenticarum collationes* barbare vocauit idem BVRGVNDIO.

§. CCCXLIV.

Authenticae Codici insertae. Sed omnium maxime notabiles sunt additiones *authenticarum*, quas vocant, & librorum FEVDALIVM. Confecerant cum Irnerius, tum alii quidam, ex Nouellis certas positiones iuris nouissimi, quibus ipsis Codicis legibus derogatum sit. Addiderant alii similes quasdam periochas, ex legibus potissimum vtriusque Fridrici Imp. decerptas. Has omnes sub titulo AVTHENTICARVM Codici

ci inseruit nescio quis, vt eo facilius reperirent studiosi, quid nouis legibus mutatum sit: quamvis nonnunquam a nouellarum sensu aberrasse earum auctores, res ipsa loquatur. De Authenticarum auctoribus & erroribus videndus IO. STRAVCHIVS in *Irnerio non errante*, & inter quos acris ea de re contentio fuit, AL. ARN. PAGENSTECHERVS *Sicilim. Manip. III.* & *in Irnerio iniuria vapulante*, ac V. A. CORN. van BYNKERSHOEK in opusculo *de auctore auctoribusue Authenticarum*, quod cum aliis opusculis prioribus nuper recusum est Lugd. *MDCCXXX.* 4to.

§. CCCXLV.

Quum vero multae in foro quaestiones etiam de feudis inciderent, de quibus nihil sancit ius Iustinianeum, & in Italia scriptae circumferrentur consuetudines feudorum Longobardicae, a PHILIBERTO Episcopo, GERARDO NIGRO, & OB. AB ORTO, Coss. Mediolanensibus, qui ab Ottone Frising. de Gest. Fridr. II, 13. memorantur, & ab aliis fortassis, collectae: eas vna cum constitutionibus *Libri feudorum Nouellis adiuncti.*

Conradi III. & Fridricorum Impp. ſub titulo DECIMAE COLLATIONIS Nouellis ſubiunxit HVGOLINVS, ICtus Bononienſis. Odofred. Comment. in *Auth. Caſſa C. de SS. Eccleſ.* Schilter. praef. ad Mincucc. §. IV. Quod poſtea Fridricum II. Imp. ratum habuiſſe, ferunt. Engelhuſ. Chron. p. 1115. Pancirol. Var. Lect. I, 90. Iis poſtea acceſſere CAPITVLA EXTRAORDINARIA, quae vocant, ab ARDIZONE, & ALVAROTO collecta, necnon conſtitutiones quaedam Principum, quae EXTRAVAGANTIVM nomine veniunt. Horn. Iur. Feud. I, 35.

§. CCCXLVI.

ICtorum ſaeculi XIV. prolixiores Commentarii.

Hic primae iſtius ICtorum ſcholae labor fuit, qui per ſaecula XII. & XIII. ferbuit. Sequente enim decimo quarto vixerunt BARTOLVS DE SAXOFERRATO, & qui ab eo profecit BALDVS, Peruſinus, ALEXANDER TARTAGNVS, BART. SALICETVS, PAVLLVS CASTRENSIS, IASON MAYNVS, CYNVS, RAPHAEL FVLGOSIVS, HIPPOLYTVS RIMINALDVS

&

& alii, quorum vitas Panciorolus aliique descripserunt, qui non breuibus glossis & scholiis, sed commentariis amplissimis corpus iuris illustrarunt. Sunt sane in his aeque, ac in Glossa, quae admireris: sed plura etiam inepte ac stolide scripta, qualia proficisci oportuit a viris in illa caligine educatis, omnique litterarum, historiae ac philosophiae lumine destitutis. *

* Nemo Commentarios horum hominum elegantius descripsit M. Ant. Mureto Orat. I, 17. *Primo* enim ostendit, quam saepe boni illi viri ignoratione antiquitatis & peruerso quodam contradicendi studio peccarint. *Deinde*, quam multa vbique tractarint ad rem nihil pertinentia, veluti dum quaerunt, quae sit potestas ablatiui, gerundii, relatiui, qui, quae, quod, & similia. De ordine *porro: At nostri*, inquit, *qualem nobis cuiusque generis farraginem reliquerunt? vt si quis rusticus hordeum, triticum, viciam, legumina in vnum aceruum conferat, non illis aceruum horum commentariis existimem perturbatiorem fore.* Et quibusdam interiectis: *Apud hos enim, vbi v. c. de auctoritate magistratuum agitur, dicetur etiam aliquid de testamentis, vbi de emtione venditione disseritur, aliquid de-*

de poenis, aut de auctoritate tutorum inseretur: nihil est denique, quod certam sedem ac domicilium habeat, nihil quod non alienissimo aeque facile, ac suo loco, pertractatum reperiatur. Inde illae crebrae ex vno in alium locum reiectiones, quum te, quod hic agendum & tractandum erat, id iubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, nunquam, nisi admonitus, diuinare potuisses. Prorsus vt si quis paterfamilias vestem non in vestiario, sed in arca panaria, conderet, panem ex puteo hauriret, pisces in nemore, lepores in piscina inclusos haberet. Denique de horrido dicendi genere agens: *non vnam linguam esse*, ait, *qua loquantur, sed deterrimum quemdam cinnum ex foedissima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluuione, olentem, vt seruus ille Plautinus ait, allium, hircum, haram, suem, canem, capram. &c.* Meretur sane tota oratio legi, qua nihil de Glossatorum barbarie scriptum est elegantius.

§. CCCXLVII.

Methodus docendi interpretandique iura.

Mansit ille scribendi mos saeculis decimo quinto & sexto, quo etiam in Germaniae aliarumque prouinciarum academias penetrauit. Quo tempore quae docendi interpretandique methodus fuerit, optime docuit Guido Pancirol. de Cla-

Claris Legum interpretibus toto libro II. Nulla quoque circa iurisprudentiam his saeculis facta est mutatio, nisi quod libros feudorum paullo concinniores quidam dare conati sunt.

§. CCCXLVIII.

Ceperat hoc consilium anno *MCCCC XXVIII.* ANTONIVS MINCVCCIVS (non *Mericutius*,) DE PRATO VETERE, ICtus Bononiensis, scripseratque auspiciis, vt videtur Sigismundi Imp. de FEVDIS *libros sex*, quos a Sigismundo & Friderico III. Imp. confirmatos docuit Schilterus, qui hunc, MINCVCCII foetum diu latitantem desideratumque a plurimis, edidit Argent. 1695. 4. Nec aliud fuit institutum BARTHOL. BARATERII, Placentini, qui priuata industria confecit LIBELLVM FEVDORVM REFORMATVM, eumque anno MCCCCXLII Academiae Papiensi commendauit. Eum codicem cum reliqua Bibliotheca Ticinensi in Galliam transtulerat Ludouicus XII. Rex Franciae, ex quo eum primum edidit Nic. Rigaltius Paris. MDCXII. ac postea Io. Philipp. Schmidius Arg. MDC XCV.

Quid Mincuccius & Baraterius circa feudorum libros moliti?

XCV. 4to. Neuter tamen libellus iuris feudalis Longobardici luminibus offecit.

§. CCCXLIX.

Schola ICtorum humaniorum.

Saeculo XVI. nouum iurisprudentiae splendorem circumdederunt ICti humaniores, ANDR. ALCIATVS, quem IAC. CVIACIVS, ANT. AVGVSTINVS, PITHOEI fratres, PETRVS FABER, FR. HOTOMANVS, BARN. BRISSONIVS, VDALR. ZASIVS, FRANC. DVARENVS, FR. BALDVINVS, HVGO DONELLVS aliique viri doctissimi maxime in Gallia, & illustri Bituricensium schola, longo agmine sequuti sunt. At tantum abest vt hi debellarint barbariem, vt ea multis post annis in foro & scholis regnarit, & quibusdam locis etiamnum regnet, imperet, triumphet. *

* Quam altas in animis hominum radices egerit illa glossatorum barbaries, variis exemplis ostendi potest, velut quod Cuiacio in cathedra Forcatulus, id est, simia homini praelatus: Papir. Masson. in Elog. Cuiac. quod Muretus, quia ius nouo more Ro-

Romae profiteretur, illam ſpartam Seluaghio, homini barbaro relinquere, & ad elegantioris litteraturae profeſſionem redire coactus eſt. Muret. Part. I. Orat. XXI. Denique quod Lorioto, Lipſiam, lautiore propoſito ſtipendio, inuitato & ius non ſine maximo iuuenum concurſu docenti, parum fauerunt ICti, qui fruge reperta glandibus veſci malebant. Vid. Melch. von Oſſa Teſtam. Cap. VIII. §. 2. p. 385.

§. CCCL.

Cur hi quoque non omnes fecerint operae pretium.

Et quidem, vt vera fateamur, non parum ſolidiori iurisprudentiae nocuit intempeſtiuum quorundam ſtudium, qui quum elegantiores literas cum iurisprudentia coniunxiſſent, omnem doctrinae laudem in eo poſitam exiſtimabant, vt audaciſſima criſi leges non emendarent, ſed figerent refigerentque, omnia Romanorum inſtituta petulantiſſime riderent, Iuſtinianum omnemque eius laborem, ludibrio exponerent, meraſque antinomias, Tribonianiſmos, & neſcio quae alia monſtra, vel laruas potius, venarentur, quin & nouum ius, ſi fieri poſſet, conderent, nihilque ſuo loco ſtare permitterent. Sane

ne vt Bartoliſtae glandibus; ita hi auditores ſuos, tamquam Chamaeleontes, vento paſcere videntur, non ICti, ſed cenſores, ſine populi ſuffragio creati, iisque accenſendi criticis, quos hordeo & auena paſci vidit Cebes Thebanus *in Tabula.*



LIB. II.

HISTORIA IVRIS

LIB. II.
DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS GERMANICI.

CAP. I.
DE IVRE GERMANICO ANTE CONRADI I IMPERIVM.

§. I.

Germani veteres legibus scriptis caruere.

Qvum commune id esset Germanis cum gentibus reliquis antiquissimis, vt saltim ad saeculum Christianum quartum litteris ac scriptura carerent: * facile patet, eosdem, vti alias gentes, initio legibus quoque ac iure scripto caruisse.

* Eo enim saeculo litteras inter Gothos primus inuenit Vlphilas, eorum episcopus, auctor versionis Gothicae sacri codicis. Socrat. Hist. Eccl. V, 33. Philostorg Hist. Eccl. II, 5. Quo inuento non fuisset opus, si iam antea Germani litteras habuissent. Versionem enim illam vere Germanicam esse, res ipsa docet: & vere scripsit

Z Wala-

Walafridus Strabo ver. eccl. Cap. VII. *Gothi, qui & Getae, eo tempore, quo ad fidem Christi perducti sunt, in Graecorum prouinciis commorantes, nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerunt.* Quae ex Tacit. Ann. II, 63. & 88. obiiciunt de Epistolis a Germanis ad Romanos missis, ea de lingua & scriptura Latina intelligenda videntur, quam non nulli diuturna cum Romanis consuetudine procul dubio addidicerant, quemadmodum Graecas litteras ex consuetudine cum Massiliensibus addidicerant quidam Galli Strabo Lib. VI. Caes. de Bello Gall. VI, 14. & I, 10. Sed &, quae de Runicae litteraturae antiquitate iactantur, plane incerta sunt, multoque incertius, an ea in Germania vnquam nota fuerit.

§. II.

Habuere tamen suos mores & consuetudines.

Nihilominus tamen maioribus nostris sui erant mores ac consuetudines, tum communes omnibus, tum vni vel alteri genti propriae, quarum multas cum cura descripserunt Caesar de Bello Gall. VI, 21. sequ. & Tacitus libello *de moribus Germanorum* singulari, ex quibus prolixum recensum instituit Melch. Goldastus in Collectione Legum & Consuetudinum imperii, edita Francof. 1613. & 1674.

1674. Harum vero conſuetudinum patriarum eo ſanctior ad poſteros manebat cuſtodia, quo minus ipſa natio vllis exterorum commerciis connubiisue infecta eſſet. Tac. de Morib. Germ. Cap. IV.

§. III.

Earum quaedam exempla.

Tales ſunt quamplurimae, a Tacito, Caeſare & aliis auctoribus veteribus recenſitae, veluti, quod longa eſſet Germanorum pueritia, longa impubertas, & ſera iuuenum Venus: Caeſ. de Bello Gall. VI, 21. Pompon. Mela de Situ orb. III, 3. Tacit. Cap. XX. quod liberi cum matre miniſteria domeſtica obirent: Tacit. Cap. XXV. ipſique filii, non niſi acceptis ſollemniter armis, pars reipublicae haberentur: Tac. Cap. XIII. quod dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offerret, conſentientibus parentibus & propinquis: Tac. Cap. XVIII. quod arma aliaeque res expeditoriae ad filios & nepotes transmitterentur: alioquin ſui cuique heredes eſſent liberi, fratres, patrui, auunculi, nullumque ibi teſtamentum: Tacit. de Morib. Germ. Cap. XVIII. quod auunculi ſororum liberis loco parentis eſſent, ſanctiſſimaque ea neceſſitudo haberetur. Id. Cap. XX.

§. IV.

Alia eiusdem generis. Eiusdem generis ſunt, quae veteres referunt de ſtatu ſeruorum libertinorumque: Tacit. Cap. XXV. de ſeueritate maritorum in ſponſas & vxores impudicas: Tacit. Cap. XIX. Procop. de Bello Goth. Lib. IV. de conſultationibus plerisque inter pocula ſuſceptis: Tacit. Cap. XXII. de inſigni promittentium ac colludentium fide: Tac. cap. XXIV. Annal. XIII, 54. de inimicitiis a tota familia ſuſceptis, Tacit. cap. XXI. & manu potius, quam iure, finitis: Pomp. Mela III, 3. Vellei. II, 118. de homicidiis mulcta; aliis criminibus morte expiatis: Tacit. cap. XII & XXI. de mulcta pro parte regi vel ciuitati, pro parte ipſi, qui vindicabatur, vel propinquis eius exſoluta: Tac. cap. XII. de hoſpitalitate mira ac paene promiſcua: Tacit. cap. XXI. Caeſ. de Bello Gall. VI, 21. Pomp. Mela III, 3. de tributis pro munere datis: Tac. cap. XV. de numero non dierum, ſed noctium, computato: Tacit. cap. XI. Caeſ. de Bell. Gall. VI, 18. & quae ſunt eiusdem generis alia. *

* Quo & feuda refert Ge. Ad. Struvius in Syntagm. iur. feud. I, 3, 3. ob ea, quae de prin-

principum comitibus eorumque insigni fide refert Tacit. de Mor. Germ. Cap. XIV. Quod quamuis ridiculum videatur clarissimo Dietmaro in Not. p. 87. argumenta tamen, quae ei sententiae opponit, non infringunt hanc Struuii doctrinam, tantum abest, vt ridiculam illam esse demonstrent. An enim apud Germanos viri principes, quia non erant territorii domini, sed in conciliis electi, non potuere habere vasallos? an necessario requiritur superioritas territorialis, ager, & sedes domini fixa, si quis vasallum habere velit? Et quid aliud sunt illi comites, *Gesellen*, *Waeseln*, quam *vasalli*, maxime quum Tacitus de eorum fide in dominos, & de stipendiis, pro seruitiis militaribus datis, diserte testetur? Nihil ergo impedit, quo minus feudorum prima stamina cum Struuio iam apud Tacitum quaeramus.

§. V.

Sed quemadmodum pleraeque hae consuetudines Germanis omnibus communes erant: ita dubitari nequit, quin & singulae gentes quasdam habuerint sibi proprias ac peculiares, quarum vel vnicum exemplum adferre iuuabit ex Tacito cap. XXXII. vbi de Tencteris: *Inter familiam & penates, & iura successionum equi* *Singulae etiam gentes suos mores speciales habebant.*

 tra-

traduntur. excipit filius, non vt cetera maximus natu, sed prout ferox bello & melior. Quem locum ad consuetudinem res expeditorias ad filios vel agnatos transmittendi pertinere, interpretes plerique obseruant.

§. VI.

Gentium Germanicarum aliae in Germania substiterunt, aliae alio migrarunt.

Sed a Taciti temporibus ad saeculum vsque quintum, magna facta est rerum conuersio, migrationeque tot gentium frequentissima effectum est, vt gentes potentissimae, GOTHI, VANDALI, BVRGVNDIONES, SVEVI, FRANCI, ANGLI, praestantissimis Romanorum prouinciis infusae, regna ibi amplissima conderent: vacuas vero eorum sedes gentes antea parum notae, ALAMANNI, BOII, SAXONES, THVRINGI occuparent, totamque Germaniam magnam inter se partirentur, nisi quod ad orientem VENEDI, gens Sarmatica, magnam Germaniae partem inter mare Balthicum & Alpes sub suam redegerunt potestatem.

§. VII.

Illae iure scripto; hae non

Quae in vetere patria substiterant gentes, eae si a Francis discesseris, iure consuetudinario porro vixerunt, nec de iis scri-

ſcribendis, quamdiu ſui iuris manſere, cogitarunt: quum contra populi, qui extra Germaniam ſedes quaeſiuerant, adquiſita ſibi aliqua Latine loquendi ſcribendique facultate, paullo citius iura ſua litteris conſignarint. Vt adeo ab eo tempore gentium Germanicarum quasdam IVRE SCRIPTO, quasdam NON SCRIPTO vſas eſſe, animaduertamus. *ſcripto vſae ſunt.*

§. VIII.

Antiquiſſima tamen omnium videtur LEX SALICA, quae Salios, inter Ligerim & Carbonariam poſtea habitantes, obſtrinxit. Eam *dictaſſe* primum dicuntur proceres gentis, Wiſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus, & Windogaſtus, * emendaſſe vero poſtea Chlodouaeus, Childebertus, Chlotharius Carolus M. & Ludouicus Pius. Vid. Praefat. Leg. Salic. Lindenbrog. Cod. Leg. p. 346. ſequ. Baluz. Tom. I. Capit. p. 17. p. 387. 606. Tom. II. p. 1060. Ergo ſatis certum videtur, prima eius ſtamina in Germania magna ante Chlodouaeum ducta, eamque poſtea ſubinde variis additionibus auctam eſſe. Vnde diuerſiſſimae huius legis editiones, cum gloſſa Malbergica, & ſine ea, *Lex Salica.*

 quas

quas accuratiſſime inter ſe contulit, & ex antiqua lingua Germanica illuſtrauit Ge. Eccardus, Hanouerae 1719. fol.

* Notum eſt doctorum de his hominibus locisque, vnde nomen tulerunt, certamen, quod noſtra memoria inter viros illuſtres Godofr. Guil. Leibnitium & Nic. Hier. Gundlingium aliquamdiu fuit. Sed coniecturae merae ſunt, quas vterque profert, nec certius quidquam dici poteſt, quam legem Salicam initio ſaeculi V. circa annum CCCCXXII, vti *Sigeb. Gemblac. in Chron. ad illum annum ſtatuit*, in Germania Magna procerum ſuffragiis conditam, ac paullo poſt in ſcripturam redactam, poſtremo a Chlodouaeo & ſucceſſoribus recognitam variisque additionibus eſſe amplificatam.

§. IX.

Ripuaria. Non vna, ſed duabus, legibus vſos eſſe Francos, iam Eginard. in Vit. Car. M. Cap. XXIX. obſeruauit. Id vero non de duabus legis Salicae editionibus, quod Hermanno Conringio de Orig. Iur. Germ. Cap. VII. viſum, intelligendum, ſed de lege Salica & RIPVARIA, a Ripuariis, qui inter Rhenum, Scaldim & Moſam conſederant, dicta, quae etiamnum exſtat apud

Baſ.

Baſ. Heroldum & Lindenbrogium, & paullo poſt Salicam condita, & a Theoderico, Chlodouaei filio, in ſcripturam redacta videtur, aucta poſtea a Dagoberto Rege. Praef. Leg. Baiuwar. apud Lindenbr. p. 399. Baluz. Tom. I. p. 989.

§. X.

Initio ſaeculi quinti Burgundionibus, qui in Alpibus Graiis, Viennenſi prima, Lugdunenſi prima & quinta, prouinciis, potiſſimum conſederant, leges ex procerum ſententiis dedit Gundobadus Rex, a quo & ipſa lex GVNDOBADAE nomen accepit. Gregor. Turon. Hiſt. Franc. II, 33. Praefat. Leg. Burg. apud Lindenbrog. p. 266. Plura tamen adiecisse videtur Sigismundus, cui ideo hae leges tribuuntur in Codicibus MSSC. Valuit ea, & euerſo Burgundionum regno, Capit. Caroli M. ann. DCCCXIII. Quod odio religionis Arianae adeo momordit Agobardum, vt ſingularem librum *aduerſus Legem Gundobadi, & impia certamina, quae per eam geruntur*, ſciberet. *Burgundionum.*

§. XI.

Ita & OSTROGOTHIS, qui in Italia *Oſtroga-*

thorum & Wisigothorum. regnarunt, EDICTVM satis prolixum primus proposuit THEODERICVS, Rex, quod etiamnum exstat apud Lindenbrog. in Cod. Leg. p. 239. sequ. quamuis & plura alia eiusdem generis Cassiodorus in Variis seruarit, quae aeque ac illud maius, non ius Gothorum sincerum, sed ex Romano iure vbique interpolatum, sistunt. * Paullo plus prisci moris inest LEGIBVS WISIGOTHICIS, quas primum Euricus rex anno erae Hispanicae DIV. id est anno Christi *CCCCLXVI.* scripsit, successores vero, & in primis Legeuildus recognouit ac correxit, quum *antea tantum moribus & consuetudine tenerentur.* Isidor. in Chron. Goth. ad ann. 504. & 608. Lex ea primum locum occupat in Codice Lindenbrogiano: quamuis Codicem MSC. multo locupletiorem, & aliquando ab editione Lindenbrogiana diuersum seruet instructissima Illustris Cancellarii nostri, IO. PETRI A LVDEWIG bibliotheca.

* V. C. Struuius in Hist. Iur. V, 4. p. 355. leges antiquissimas Gothorum memorare ait Iornandem de reb. Getic. Cap. XI. quarum auctor fuerit Diceneus aequalis L. Sullae philosophus. *Hic enim*, inquit, *cernens Gotho-*

Gothorum animos sibi in omnibus obedire, & naturale eos habere ingenium, omnem paene philosophiam eos instruxit, erat enim huius rei magister. Nam ethicam eos erudiuit, vt barbaricos mores ab iis compesceret: physicam tradens, naturaliter PROPRIIS LEGIBVS viuere fecit, quas vsque nunc conscriptas BELLAGINES nuncupant. Logicam instruens, eos rationis supra ceteras gentes fecit expertos, cetera. Sed nemo non videt, BELLAGINES istas non fuisse leges politicas, quibus respublica regeretur, sed diaeteticas & physicas, ad quas Gothi in cibo, potuque & tota vitae ratione sese componerent.

§. XII.

Anglorum & Werinorum.

De SVEVORVM, qui in Hispania; nec non VANDALORVM, qui primum in Hispania, ac postea in Africa regnarunt, legibus nihil compertum habemus. At ANGLORVM, qui in Britannia sibi nouas sedes imperiumque quaesiuerunt, & WERINORVM Lex antiqua, sed perbreuis, exstat, ab Heroldo, Lindenbrogio & Leibnitio edita, quamque facile patet, ante expeditionem Britannicam scriptam esse, si genuina est inscriptio, in qua Angli & Werini, tanquam vicini, iunguntur: quamuis plane dubitare liceat, an hae Anglo-

glo-

glorum, ac non potius Thuringorum leges ſint. Conring. de Orig. Iur. Germ. Cap. XIII.

§. XIII.

Cur gentes extra Germaniam ius Romanum non adſpernatae ſint?

Et hae quidem ſunt leges gentium, quae relicta Germania in cultioribus orbis Romani prouinciis conſederunt. Quum vero plerumque Imperatorum Romanorum maieſtatem comiter venerarentur, qui eas ibi regnare ſuis auſpiciis patiebantur, quum expellere non poſſent: * haut mirum eſt, non modo ipſas illas gentes nonnulla ex iure Romano adſciuiſſe, ſed & prouincialibus, quos quibusque locis repererant, leges Romanas permiſiſſe.

* Ita ipſi FRANCI poſſeſſionem occupatorum a ſe non ſatis ſtabilem exiſtimabant, antequam tabulis ab Imperatore conſignatis confirmaretur. Procop. de Bell. Goth. III, 33. auctorque eſt Greg. Turon. Hiſt. Franc. II, 38. Chlodouaeum ab Anaſtaſio Imperatore Conſularia inſignia impetraſſe. Conſ. Eccardi praefat. Orig. Habsburgic. Deinde ipſi Oſtrogothorum Regum numi, in quibus Imperatorum Orientalium capita & tituli cuſi ſunt, ſatis indicant, Theodoricum, etſi non exſpectata Zenonis Imp. iusſione Regis Gothorum ac Romanorum

titu-

titulum sumsisset, comiter tamen illius maiestatem veneratum, regnumque Italiae se clientelari tantum iure tenere professum esse. Eccard. Epist. de Num. quibusd. sub regim. Theoderici Gothor. reg. in honorem Imperatorum Zenonis & Anastasii cusis. Hanou. 1720. 4to Ill. a Ludewig in Vit. Iustin. Cap. VIII. §. 86. p. 404. Sed & Burgundiones sedes suas, teste Prospero Aquitanico in Chron. ad ann. CCCCXLIII. beneficio Valentiniani Imp. obtinuerant, quemadmodum & Wisigothos Honorius Imp. regnare passus erat in Gallia & parte Hispaniae, ea lege, *vt sua solatia Romanae reip. vbi vsus exigeret, non denegarent.* Iornand. de reb. Get. Cap. XXXII. Quae quidem clientelarem nexum satis superque arguunt.

§. XIV.

Leges Germanorum passim ius Rom. redolent.

Ac primo quidem istas gentes ex diuturna illa cum Romanis consuetudine aliquid peregrini etiam circa leges attraxisse, tam certum est, quam quod certissimum. Quamuis enim de lege Wisigothica non adsentiamur Cuiacio ad 2. Feud. II. scribenti, *in ea omnia fere esse petita ex iure ciuili:* multa tamen inde originem habere fatemur, in primis, quae constituta legimus de testamentis, Leg. Wisig. II, 5,

12.

12. nec non de peculio filiorum familias. Lib. IV, 5, 5. Eiusdem originis ſunt, quae de teſtamentis ſancit lex Burg. XLIII, 1. & Edictum Theoderici §. XXVIII. ſequ. itemque, quae eodem Edicto §. CXXXII. de poſſeſſore nec titulum edente nec probante, §. CXXXIII. de muliere fideiubente, §. CXXXVIII. de re a duobus emta & vni tradita, nec non in Lege Burgundica LXXXVII, 3. de reſtitutione minorum ante annum aetatis XXX, & tit. LXXXIIX, 2. de manumiſſionibus praecipiuntur. Vt iam non adcumulemus huius generis alia.

§. XV.

Germanicae gentes prouincialibus ius Rom. concesserunt. veluti Wisigothi.

Deinde probe obſeruandum eſt, easdem gentes prouincialibus quasque ſuis legum Romanarum vſum conceſſiſſe. Fecerunt id ſane WISIGOTHI, quorum Rex, Alaricus iunior anno Chr. DVI. per Anianum Gothum, aliosque eccleſiae ac reip. proceres, ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano, nec non Paulli Sententiis & Caii Inſtitutionibus conficiendum curauit corpus iuris Romani, quod paſſim vocatur CORPVS THEODOSIANVM, Baluz. Tom. II. p. 474. LEX ROMANA, Idem Not.

ad

ad Capit. Tom. II. p. 995. Car. du Fresne Glossar. med. ac inf. Lat. voce *Lex Romana*, itemque BREVIARIVM ANIANI *c. 21. causs. 2. qu. 6.* Historiam huius corporis Alariciani dedit Iac. Gothofr. in Proleg. Cod. Theod. Cap. V. cui addendum, vsum hunc iuris Romani saeculo septimo in regno Gothico sustulisse Childeswindum Regem, cuius seuera ea de re constitutio exstat in Leg. Wisigoth. II, 1, 9.

§. XVI.

Ostrogothi. Idem institutum multo magis seruabant OSTROGOTHI. Ipse enim Theodericus Rex in praefatione edictum suum valere iubet *salua iuris publici reuerentia, & legibus omnibus cunctorum deuotione seruandis.* Et apud Cassiod. III, 43. vsum iuris Romani diserte confirmat. Quin tanta erat regum illorum humanitas, vt arbitrium facerent subditis, qua quisque legere viuere vellet. Greg. Turon. Hist. Franc. II, 33. Cassiodor. I, 1. III, 4.

§. XVII.

Burgundiones. Eo exemplo BVRGVNDIONES quoque Romanos, in regno suo viuentes, iure suo vti patiebantur. Gundebald. in praef. Leg. Burg. apud Lindenbrog. p. 267.

267. *Inter Romanos vero, ſicut a parentibus noſtris ſtatutum eſt, ROMANIS LEGIBVS praecipimus iudicari.* Hinc PAPIANVS quidam Aniani exemplo librum RESPONSORVM ex Codice Theodoſiano, Nouellisque Theodoſii & ſucceſſorum, quin & ICtorum libris quibusdam compilauit, vt prouincialibus, qui lege Romana, quam Gundobada, viuere mallent, pro norma eſſet. * In eo Reſponſorum libro, quem V. C. Ant. Schultingius recuſum dedit, eumdem ordinem eſſe ſeruatum, ac in lege Burgundica, obſeruant Lindenbrog. in Praefat. Cod. Leg. Alam. & Iac. Gothofred. in Manual. Iur. Cap. II. §. 11.

* Addo, librum illum Reſponſorum a Papiano ipſius Gundebaldi Regis iuſſu ac auſpiciis videri confectum. Quum enim Rex ille Romanos Romanis legibus iuſſiſſet iudicari: ſtatim ſubiicit in dicta praefatione p. 267. *Qui*, (Romani) *formam & expoſitionem legum conſcriptam, qualiter iudicent, ſe nouerint accepturos, vt per ignorantiam ſe nullus excuſet.* Vbi manifeſto promittit Corpus aliquod legum Romanorum, quod quidem non aliud eſſe videtur, quam PAPIANI Reſponſorum liber.

§. XVIII.

§. XVIII.

Denique & FRANCI, quamuis iure *Franci.* moribusque patriis viuerent, optionem tamen & ipsi dabant prouincialibus, suisne, an Romanis, legibus viuere vellent, quippe quas tum in Gallia vniuersa viguisse, testatur Agathias de Bell. Goth. Lib. I. p. 7. Ita Chlotharius apud Baluz. Tom. I. Capitul. p. 7. *caussas inter Romanos controuersas Romanis terminari legibus*, iussit. Sed & Theodoricus II. Rex iuris Romani tam studiosus fuit, vt Baronius ad ann. *CCCCLXVIII.* per *leges Theodoricianas*, quarum meminit Sidon. Apollin. Epist. II, 1. intellexerit codicem quemdam legum Rom. ab hoc rege exemplo Gothorum confectum. Quod quamuis falsum esse docuerit M. Ant. Dominicus de praerog. allod. Cap. VI, 2. idem tamen eius amorem erga ius Romanum aliunde solide probat, in primis ex illis Sidon. Carm. 7. vbi Auitus alloquitur Theodoricum:

- - - *Mihi Romula dudum*
Per te iura placent.

Denique sub Dagoberto adhuc ius secundum leges Romanas dictum esse, testis est Aimon. in Hist. Dagob. IV, 25. Exstant

 etiam

etiam teſtamenta, tum ad normam iuris Rom. facta, quale eſt non modo S. Remigii apud Flodoard. Hiſt. Rem. Eccl. I, 18. & Hadoindi Cenomanenſis Ep. apud eumdem II, 5. ſed & Alredi, Abbatis, factum anno *DLXXI.* apud Mabillon. Analect. Tom. II. p. 48. qui & alibi Annal. Bened. Tom. II. p. 702. adfert Diploma Murbacenſe Euerardi Comitis, in quo mentionem facit *donationis, a ſe nequaquam ciuiliter geſtis municipalibus alligatae*, id eſt, ad acta non inſinuatae. Quamuis vero non haberent peculiare aliquod iuris Romani ſyntagma: ſequebantur tamen Codicem Theodoſianum, cuius non ignari erant Francorum proceres, veluti Celſus patricius, quem *iuris lectione peritum*, & Andarchius, quem *legis Theodoſianae libris eruditum* celebrat Greg. Turon. Hiſt. Franc. IV, 24. & 47. itemque Bonitus Aruernenſis Ep. quem circa annum *DCL. Theodoſii edoctum fuiſſe decretis*, ex MSca eius vtia docet Iac. Gothofred. Proleg. Cod. Theod. Cap. VII. p. 196. *

* Quin in vniuerſum teſtatur Sidon. Apollin. Epiſt. II, 1. iuuentutem Gallicanam, imperante Chlothario, Francorum Rege,

Codi-

Codicis Theodoſiani ſtudio fuiſſe initiatam. A multo enim tempore inoleuerat ibi mos, vt Romam confluerent, qui iuri ciuili dabant operam: eiusque rei exempla ſunt apud Conſtantium in Vita S. Germani Cap. I. & Rutil. Numat. Itin. I. v. 209. Celebrabatur enim tum Roma, tanquam *domicilium legum*, Sidon. Apollin. Epiſt. I, 6. ac proinde iuris ciuilis cultum inde petebant, quotquot ex prouincialibus ad ſapientiae iſtius laudem adſpirabant. Fr. Iuret. ad Symmach. Epiſt. IX, 83.

§. XIX.

Quid? quod & ANGLOS, quamuis Britanniam, iam a Romanis deſertam, occupaſſent, legum tamen Romanarum vſum, cui adſueti fuerint Britanni, prouincialibus relinquere non dubitaſſe, exiſtimat V. C. Io. Sam. Brunqu. Hiſt. Iur. I, 15, 19. Auctor enim eſt Beda Venerab. Hiſt. Angl. II, 5. Ethilbertum, Cantii Regem, *inter cetera bona, quae genti ſuae conſulendo contulerit, etiam decreta iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum conſilio ſapientum conſtituiſſe, quae conſcripta Anglorum ſermone hactenus habeantur, & obſeruentur ab ea.* Enimuero non leges Romanas recepit Ethilbertus,

An & Angli?

quas tunc ex Britannia plane exſulaſſe, obſeruat Selden. in Diſſ. ad Flet. Cap. VII. §. I. ſed ſenſus eſt, primum illum Regem Chriſtianum proprias Anglis leges tuliſſe, * & tanta quidem cum cura, vt exemplo Romanorum viros ſapientiſſimos in conſilium adhibuerit.

* Exſtant permultae Ethilberti iſtius leges etiamnum in G. Lambardi Archaeonomia, edita Lond. 1568. Sed eae nihil Romani redolent. Quin ipſe Beda ſtatim ſubiicit, Ethilbertum *in his* legibus *primitus poſuiſſe, qualiter is emendare deberet, qui aliquid rerum vel eccleſiae vel epiſcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret*: obſeruatque Selden. in Iano Angl. Lib. I. §. XXXIV. fures ex ea lege delictum numis luiſſe, ſi qui vero manum ſacris eſſent admoliti, iis manum praeciſam eſſe. Id quod ſane cum iure Romano nihil commune habet, magisque iuri Germanico concinnum videtur.

§. XX.

Gentes, quae in Germaniae ſubſtiterunt, legibus ſcriptis vt coe-

Talis erat iuris ſtatus apud eas gentes, quae in prouinciis Romanis noua regna condiderant. Quod ad eas attinet, quae in Germania ſubſtiterant: eae pleraeque tum demum, quum in Francorum poteſtatem perueniſſent, ius ſcriptum habere coe-

coeperunt. *Theodericus* enim *Rex Francorum, quum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante, iussit conscribere legem Francorum, & Alamannorum, & Baiuuariorum, vnicuique genti quae in eius potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit, quae addenda erant, & improuisa & incomposita renouauit, & quae erant secundum consuetudinem paganorum, mutauit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodericus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, posthaec Childebertus, Rex, inchoauit, sed Chlotharius Rex perfecit. Haec omnia Dagobertus, Rex gloriosissimus, per viros illustres Claudium, Chadum, Indomagum & Agilulfum renouauit, & omnia vetera legum in melius transtulit, & vnicuique genti scripta tradidit, quae vsque hodie perseuerant.* Praefat. Leg. Baiuuar. ap. Lindenbrog. p. 399. *perunt tum ante Carolum M.*

§. XXI.

Similia de Carolo M. memoriae prodidit Eginardus in vita Car. Cap. XXIX. *eum nimirum omnium nationum, quae sub eius* *Tum sub eo.*

dominatu erant, iura, quae scripta non erant, describi ac litteris mandari fecisse. Poëta vetus apud Leibnit. Script. Brunsu. Tom. I. p. 168.

Cunctorumque sui regni leges populorum,
Collegit, plures inde libros faciens.

Talia etiam in Annal. Francor. apud Lambec. Bibl. Vindeb. II, 5. legimus, ex iisque simul obseruamus, factum id a Carolo esse circa annum *DCCCIV.*

§. XXII.

Lex Alamannorum.

Iam itaque facile patet, quae sit origo LEGIS ALAMANNORVM.* Ea enim in Codicibus MSC. hunc titulum praefert: *Incipit LEX ALAMANNORVM, quae temporibus Chlotharii Regis vna cum principibus suis, id sunt XXXIII. Episcopis, & XXXIIII. Ducibus, & LXXII. Comitibus, vel cetero populo, constituta est.* Herold. p. 17. Lindenbrog. p. 363. Est ergo haec lex a Chlothario, & quidem, vt P. Daniel Hist. Franc. Tomo I. p. 306. recte suspicatur, secundo, quia tum Alamanni iam Ducibus suis paruerunt. Lex Alam. tit. XXXI. Interim facile largimur, Theodericum, Chlodouaei filium, prima

eius

eius ſtamina duxiſſe. Nec dubium eſt, quin ſucceſſores plura addiderint, eaque cauſſa ſit tantae exemplarium varietatis, de qua Lindenbrog. p. 1330. ſequ. & Conring. de Orig. Iur. Germ. Cap. IX. p. 42.

* Doctiſſimus Nic. Hier. Gundlingius Part. III. Gundl. Diſſ. II. §. XVI. ſequ. ſtatuit, Alamannorum a Chlodouaeo oppreſſorum, prouinciam occupaſſe Francos victores, iisque datam eſſe *legem Salicam*, cui poſtea demum lex Alamannica ſucceſſerit, quum a Francis paullo mitius haberentur. Sed veterum auctoritate deſtituitur haec ſententia, nec aliud habet fundamentum, quam quod vir doctus quatuor pagos, *Salheim*, *Windheim*, *Bodenheim* & *Wiſenheim*, qui *Salogaſto*, *Windogaſto*, *Bodagaſto*, & *Wiſogaſto*, leges Salicae auctoribus, nomina dare potuerint, in tractu Wormatienſi, adeoque in Alemannia inueniſſe ſibi viſus eſt. Conſ. quae huic coniecturae oppoſuit Leibnit. in Reſponſione ſua §. 45. ſequ. quam ipſe Gundl. edidit Parte VI. Gundl. p. 77. ſequ.

§. XXIII.

Certior eſt LEGIS BAIVVARIORVM aetas. Quum enim Boioarii, Alamannorum clade perterriti primum Theodorico, Oſtrogothorum in Italia *Baiuuariorum.*

Regi, eoque mortuo, Francis ſe dediſſent: leges eorum, in ſcripturam redactas firmarunt primum Theodoricus, deinde Childebertus & Chlotharius, ac demum Dagobertus, Reges. Praefat. Leg. Baiuuar. p. 399. At quum non armis victi, ſed ſpontanea deditione in Francorum poteſtatem veniſſent, adeoque magna adhuc ducum e gente Agilolfingica eſſet auctoritas: non mirum profecto eſt, eos quoque leges tuliſſe ſubditis, in quibus eſt DECRETVM TASSILONIS, legi iſti Baiuuariorum ſubiunctum apud Lindenbrog. p. 439. & haut paullo auctius apud Gewold. ad Hund. Metrop. Salisb. Tomo I. p. 310. ſequ.

§. XXIV.

Friſiorum. Incertae aetatis eſt LEX FRISICA, quippe quam alii a Theoderico; alii a Chlothario; alii a Dagaberto; alii denique a Carolo M. latam exiſtimant. Conring. de Orig. iur. Germ. Cap. XIII. Sed quum Theoderico nondum paruerint Friſii: leges ipſae autem rudiores atque horridiores ſint, quam quales felicius Caroli M. ſaeculum ferebat, quin in ipſis, quae poſtea acceſſerunt, additionibus ſapientum,

tum, *Vulemari* & *Saxmundi* Tit. XII, 1. adhuc pagana legislatorum superstitio regnet: mihi quidem certissimum videtur, leges has scriptas esse antequam gens Frisica sacra Christiana susciperet, quamuis deinde quaedam ad Christianum ritum detorta videantur. Vid. Addit. Vulemari Tit. I. §. 1. Praeter Heroldum, & Lindenbrogium hanc legem non modo edidit, sed & notis elegantibus illustrauit SIB. TEDARDVS SICCAMA, cuius libellum eleganter recusum debemus viro clarissimo, Carolo Guil. Gaertnero, Lips. 1730. 4to.

§. XXV.

Interea LANGOBARDI quoque Italiam, Gothis vix a Iustiniano Imp. ereptam, circa annum Christi *DLXVIII* occuparunt, ibique regnum potentissimum constituerunt, quod praeter exarchatum Rauennatensem vniuersam paene Italiam complexum est. Itaque & hic populus leges suas non modo in scripturam, verum etiam in iustum corpus redigere coepit, etiam post Caroli M. tempora, & exstincto licet regno Langobardico, diutissime apud Italos valiturum. Sigon. de Regno *Langobardorum.*

Ital. Lib. VIII. ad ann. MVII. p. 188. quin etiamnum in quibusdam Italiae vrbibus valentem, si fides habenda Iac. Spigelio & Melch. Goldasto apud Conring. de Orig. iur. Germ. cap. XXII.

§. XXVI.

Legum Langobardicarum collectio & glossae.

Diximus has leges in corpus aliquod redactas. Nam quamuis non vnum agnoscant auctorem, sed partim a Rothare Rege anno *DCXXXVII*, partim a Grimoaldo, Luitprando, *Ratchiso*, Aistulpho, quin & a Francicis ac Germanicis Imperatoribus, latae sint: editiones tamen Lindenbrogiana, & pleraeque omnes, has leges sistunt libris tribus, in certos titulos distributis. Quod a Petro Diacono Cassinensi factum esse, pleriq; existimant, quem Lotharii III. Imp. Logothetam, exceptorem & chartularium fuisse, ex Chron. Cass. IV, 125. patet. Glossas iuridicas in has Langobardicas scripserunt CAROLVS COTTVS, ANDR. DE BARVTO, & IO. BAPT. NENNA. Duorum priorum nec non NIC. BOERII glossae habentur in Corpore iuris glossato Lugd. Sequ. apud Gabr. Carter. anno 1600. 4. Tom. vlt.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sed omnium industriam in restituendo illustrandoque Codice LEGVM LANGOBARDICARVM superarunt Socii Palatini, & in his V. C. Lud. Ant. Muratorius, qui inter Script. Rer. Ital. Tomo I. Part. II. leges Langobardicas ex duobus codicibus Mutinensibus * edidit, non in titulos secundum ordinem argumentorum distributas, sed secundum Regum, a quibus profectae, seriem digestas, suisque prooemiis, quae in editis omnibus desunt, instructas, interiectis passim formulis, quibus prudentes Langobardorum tum agendo, tum excipiendo in foro vsi sunt, additisque praefationibus, notis, indicibusq; praestantissimis, vt nihil hac quidem hac collectione reperiri possit perfectius. *Noua Muratorii collectio laudata.*

* Alterum ex his Codicibus Euerardus quidam per Lupum describendum curauit. Id enim docet praemissum carmen heroicum, cuius initium est:

Hunc Heros librum legum conscribere fecit
Eurardus prudens.

Eurardum istum Muratorius non alium esse suspicatur, quam Ducem Foroiuliensem sub Ludouico II. Imp. Addo ego, cum-

eumdem forsan esse hunc codicem, cuius ipse Euerardus meminit in Testamento suo apud Aub. Micaeum Cod. Donat. Piar. Cap. XV. p. 21. vbi Vnrocho filio primogenito legat. *librum de lege Francorum, & Ripuariorum, & Langobardorum & Alamannorum & Baiuuariorum.* Et in hoc Codice Mutinensi eaedem leges vno fasciculo coniunctae fuerunt, teste ipso Muratorio.

§. XXVIII.

Capitularia Regum Franc. ad tempora Caroli M.

Et hae quidem sunt leges gentium Germanicae originis, a seculo V. ad Caroli M. imperium in scripturam redactae ac editae. Quum vero Franci hoc temporis interuallo, Burgundiones, Frisios, & Alamannos perdomuissent, Gothos Gallia submouissent, Baiuuarios in deditionem accepissent: non mirum est, praeualuisse reliquis LEGES FRANCICAS, non modo Salicam, & Ripuariam, sed & edicta, quae singuli Reges in comitiis vel placitis publicis, & consentientibus regni ordinibus, sub CAPITVLARIVM nomine edere solebant. Supersunt sane eiusmodi capitularia CHILDEBERTI, anni *D LIV.* CHLOTHARII, anni *DLX.* GVNTHRAMMI, anni *DLXXXV.* CHIL-

DE-

DEBERTI iunioris anni *DXCV.* CHLOTHARII II. anni *DCXV.* CAROLOMANNI, anni *DCCXLII.* ſequ. PIPPINI, item Capitularia Sueſſionenſe anni *DCC XLIV.* Vermerienſe anni *DCCLII.* Vernenſe anni *DCCLV.* denique Metenſe & Compendienſe anni *DCCLVII.* apud Baluz. Tom. I. Capitul. p. 1. ſequ.

§. XXIX.

Leges Germanicae pleroſque mores patrios a Tacito deſcriptos firmarunt.

Quamuis ergo hae leges omnes paſſim aliquid ex iure Romano traxerint, (§. XIV.) multa etiam ex priſtina barbarie paullatim deterſerit Chriſtiana religio, qua interea hae gentes omnes imbuebantur: res ipſa tamen docet, conſuetudines tantum non omnes, quas Iulius Caeſar, Tacitus aliique veteres ſcriptores in Germanis notauerant, (§. III. & IV.) in iſtis Germanorum legibus etiamnum reperiri. Vnde facile adparet, maiores noſtros priſci & auiti moris tenaciſſimos fuiſſe.

§. XXX.

Id quod exemplis demonſtratur.

Hinc expreſſiſſima in legibus his veſtigia deprehendimus longae pueritiae, Leg. Wiſig. IV, 3, 1. Langob. II, 29, 1. dotis vxori a marito oblatae, Leg. Wiſig. III, 1, 5. & 6. Burg. LXII, 2. Alam. LVI, 1. ſeq.

Ri-

Ripuar. XXXVII, 1 & 2. Lang. II, 4, 1. sequ. rerum expeditoriarum, & geradae, Leg. Burg. LI, 3 & 4. Angl. VI, 5 & 6. inimicitiarum a tota familia susceptarum, Leg. Fris. II, 2. VIII. addit. Vulm. I, 1. Leg. Sal. LXIII, 2, & seq. Angl. VI, 5. Langob. I, 7, 15. I, 37, 1. sequ. controuersiarum non iure, sed ferro decisarum, Leg. Burg. LXXX, 1. seq. Alam. I, 3. LXXXIV, 1. Baiuuar. XVI, 1. Ripuar. XXXII, 4. Fris. XI, 3. XIV, 4. Langob. XXXII, 3. homicidii non morte, sed mulcta, expiati, Leg. Sal. XXVI, 1. Ripuar. VII. & XXXVI, 1. Angl. I, 1. Fris. I, 1. sequ. Alamann. XLIX, 1. sequ. LXVIII, 1. sequ. Baiuuar. XIII, 1. sequ. Langob. I, 9, 3 & 6. hospitalitatis legibus praeceptae, Leg. Burg. XXXVIII, 6, 7, 9. numeri denique non dierum, sed noctium, initi. Leg. Sal. XXVI, 49. Ripuar. XV, 9, 6. Langob. I, 13, 23.

§. XXXI.

Formulae forenses eorum temporum.

Sed haec quidem de legibus ipsis horum temporum sufficiant. Vnum addimus, ad earum aeque ac iuris Romani, tum apud prouinciales recepti illustrationem, vsusque forensis intelligentiam non parum conferre tot FORMVLARVM collectio-

lectiones, quae ex istis saeculis supersunt. Habemus enim MARCVLFI *Formulas* quales tum ab Hier. Bignonio, tum a Lindenbrogio, datae sunt, apud Steph. Baluzium; aliasque, secundum LEGEM ROMANAM, vel SIRMONDICAS, nec non alias BIGNONIANAS, ab eodem Baluzio; alias ANDEGAVENSES, a Mabillonio tum Analect. Tom. IV. p. 234. tum in Operis de Re Dipl. Adpendice Tomo II, editas, & quas paullo ante laudauimus (§. XXVII.) LANGOBARDICAS, a Lud. Ant. Muratorio Tom. I. Script. Rer. Ital. Part. II. ex vetere Codice Mutinensi descriptas, quas vtut barbaro dicendi genere scriptas, maximam tamen adferre vtilitatem, vnusquisque re ipsa experietur.

CAP. II.

DE PROGRESSV IVR. GERMANICI A CAROLI M. TEMPORIBVS AD LOTHARIVM III. IMP.

§. XXXII.

Carolus M. legislator Saxonum.

PRogredimur ad tempora Caroli M. quem si emendandis barbarorum moribus, legibusque aequioribus ferendis na-

natum dixerimus, neminem nos habituros contradicentem ſperamus. Eum omnium, quae ſibi parebant, gentium, leges in ſcripturam redigere iuſſiſſe, iam ſupra vidimus. (§ xxi.) Quum ergo tum gentes omnes iam leges ſcriptas haberent, praeter SAXONES, quos ipſe primus diuturno bello perdomuerat: dubitari nequit, quin iis prae ceteris hanc operam nauarit. * Non tamen nouas illis obtruſit leges, ſed, vt Poëta anonym. ad ann. *DCCCIII* loquitur,

Tum ſub iudicibus, quos Rex imponeret ipſis,
Legatisque ſuis, permiſſi LEGIBVS vti
Saxones PATRIIS, & libertatis honore.

* Coniicit quidem V. C. Burc. Gotth. Struuius in Hiſt. Iur. VI, 7. p. 425. 426. iam ante Carolum M. Saxones ſuas leges ſcriptas habuiſſe, quod ipſe Carolus M. in Capitul. de part. Sax. Cap. XXXIII. ad *legem Saxonum* & in Capit. Sax. Aquisgr. anni DCC XCVII. nec non Capitul. IV, app. II. cap. 35. ad *eorum euuam* prouocet. Sed vti *lex* & *euua* πολύσημα ſunt vocabula: ita & ius non ſcriptum ſignificare poſſunt.

§. XXXIII.

Lex Saxo- Et haec procul dubio eſt LEX illa SAXO-

XONVM ab Heroldo, Lindenbrogio, Leibnitio, & nuper a V. C. Car. Guil. Gaertnero edita. Quamuis enim Lindenbrogius eam legem vel ideo Caroli saeculum antiquitate superare existimet, quod in membranis, quas nactus sit, litterarum ductus vetustatem maiorem arguant, & codex ille ante Caroli tempora scriptus videatur: tamen quum illa Lex Saxonum Christianis vocabulis e. g. *ecclesia* vtatur, Tit. III, 5, & praeterea regni ac Regis Francorum diserte meminerit: Tit. III, 1. XVII, 1. fieri sane non potest, vt eam vel Caroli M. aeuo antiquiorem, vel ab Haraldo, Danorum Rege, profectam esse existimemus. Conring. de Orig. Iur. Germ. cap. XII. [*num quando scripta?*]

§. XXXIV.

Videtur tamen non nisi fragmentum istius legis ad nos peruenisse. Multa enim, quae veteres ex lege Saxonum citant, in hac nostra desiderantur, v. g. lex de matrimonio impari nobilis & plebeiae sub mortis supplicio vetito, Eginard. apud Adam Brem. I, 5. de traditionibus digito firmandis, Diplom. Liemari apud Lindenbrog. Script. rer. Septentr. p. 147. de eo, qui fi- [*An integra ad nos peruenerit?*]

nes alienos inuaſerit, capitis damnando. Lamb. Schaffnab. p. 196. Accedit quod quum *crudeliſſimam Saxonum legem* vocet Wippo in vita Conradi p. 430. in hac ſuperſtite nihil crudelitatis reperiatur, niſi crudelem etiam dicere velis Nemeſin Carolinam, quae aeque, ac lex Saxonica, fures capite plecti iubet. Eſſe tamen illa fragmenta genuina ac vetuſta, aliis ſane argumentis ſatis demonſtrari poteſt. *

* Prouocat enim ad legem noſtram ipſe Carolus M. in Capitul. de partib. Sax. §. XXXII. vbi ait: *De periuriis ſecundum legem Saxonum ſit.* Atqui hoc caput hodienum habemus in lege Sax. II, 8. & 9. *Qui ſciens peierauerit, capite puniatur, qui neſciens peierauerit, manum ſuam redimat auctor ſacramenti.*

§. XXXV.

Capitularia Caroli M. de Saxonibus.

Nec in eo adquieuit Caroli M. ſollicitudo. Quum enim gens Saxonum, quamuis Chriſtianis acceſſiſſet, adhuc tamen auitas ſuperſtitiones mordicus teneret: * legi illi patriae nonnulla adſtruxit, quae rudem iſtam gentem ſaltim poenarum metu in officio continerent. Eo enim pertinent CAPITVLATIO DE PARTIBVS SAXONIAE incerti anni, & CAPITV-

LARE

LARE SAXONVM anno erae Christianae *DCCXCVII* in comitiis Aquisgranensibus promulgatum, quae inuenta in bibliotheca Vaticana a litteratissimo principe Ferdinando Fürstenbergio, (vid. Monim. Paderb. p. 324.) primum a Luca Holstenio Romae, deinde ab Hermanno Conringio Helmstadii, demum a Steph. Baluzio Capitular. Tom. I. p. 250. Herm. Adolph. Meinders de Statu relig. & reip. sub Car. Magn. p. 23. sequ. & nouissime a viro doctissimo, Car. Guil. Gaertnero, edita sunt Lips. *MDCCXXX.* 4to.

* Argumento esse potest *Indiculus Superstitionum & paganiarum*, quem eidem debemus Principi Ferdinando, Paderbornensi Episc. in Monim. Paderborn. p. 308. Et notum est, in iis illustrandis multum operae posuisse Casp. Caluoer, Herm. Adolphum Meinders, & Georg. Eccardum. Adeo vere cecinit poeta:

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

§. XXXVI.

Sed aliarum quoque gentium legibus, quas a Theoderico Rege Francorum eiusque successoribus in scripturam redactas, *Nec non ad Leges Salicam, Baiuua-*

riorum & Langobardorum. diximus, noua quaedam additamenta ſub Carolo M. eiusque filio, Ludouico Pio acceſſerunt. Ipſis enim Francorum legibus illum *paucula capitula*, & *ea imperfecta addidiſſe*, teſtatur Eginardus in vit. Caroli cap. XXIX. taliaque Capitula ad LEGEM SALICAM exſtant apud Baluz. Capitular. Tomo I. p. 17. 387. 606. & Tomo II. p. 1060.* Eiusdem generis ſunt Capitula, LEGI BAIVVARIORVM anno *DCCLXXXVIII* adiecta apud eumdem Tom. I. p. 207. Denique quod ad legem LANGOBARDORVM attinet, non modo illi inſertas videmus plures Caroli M. & ſucceſſorum conſtitutiones, verum etiam alia *Capitula, addita ad Legem Langobardicam*, nec non *Capitula, excerpta ex lege Langobardorum* reperimus apud Baluz. Tom. I. p. 327.

* Fortaſſis & plura perierunt. Exſtat ſane charta monaſterii Honaugienſis apud Mabillon. Annal. Benedict. Tom. II. p. 697. in qua Carolus *Rex Francorum, vir illuſter* profitetur, *res peregrinorum ſecundum legem Francorum proprias eſſe Regis:* ab eoque iure excipit peregrinos Scotos. Quod eſt ipſum ius Albinagii, cuius alioquin vix veſtigium in legibus Francicis reperias.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Inprimis vero notanda ſunt ipſa CAROLI M. CAPITVLARIA, vniuerſis ciuibus praeſcripta, * id eſt ſanctiones, vel in conciliis & ſynodis, vel in comitiis regni de eccleſia & republica factae, quarum plurimas ex variis Codicibus MSC. integras edidit Steph. Baluz. Tom. I. p. 189. ſequ. Talia deinde & Ludouicus Pius, Pippinus, Italiae Rex, Carolus Caluus, & alii Francorum Orientalium & Occidentalium Reges plura publicarunt, quae laudatus Baluzius eadem induſtria vndiquaque collegit ediditque Tom. I. p. 533. 541. 561. ſequ. Add. Brower. Annal. Treu. Proparaſc. cap. X. Mabillon. Analect. Tom. I. p. 299. *Capitularia Regum Francorum vniuerſalia.*

* Quemadmodum enim communi populi conſenſu huiusmodi Capitularia fiebant: ita & omnes iis ſubſcribere, eoque chirographo ſe ad eorum obſeruantiam obſtringere cogebantur. Capitul. III. a. DCCCIII. Cap. XIX. Capitul. II. a. DCCCXIII. in prooem. Capitul. Caroli Calui. tit. I.

§. XXXVIII.

Ne vero tot ſpeciales leges conquirendae eſſent Francis: fuerunt, qui capitularia illa colligerent, & in certum ordinem re- *Eorum collectio ab Anſegiſo facta.*

redigerent. Collectionum illarum notissima est ANSEGISI, Abbatis siue Lobiensis, siue Fontanellensis, siue alius monasterii, tamen non Archiepiscopi Senonensis, * Baluz. proleg. Capit. §. XXXIX. qui omnia Caroli M. & Ludouici Pii Capitularia eo ordine disposuit, vt liber primus Caroli M. constitutiones ad rem ecclesiasticam pertinentes; secundus eiusdem leges ciuiles; tertius Ludouici leges ecclesiasticas; quartus eiusdem leges ciuiles, vel, vt auctor vocat, *mundanas* complectatur. Addidit auctor appendices tres, quibus varia collegit Caroli M. Ludouici Pii, & Lotharii I. Imp. capitularia, quae vel ex superioribus *memoriae caussa scripta, vel non plenum explere sensum, vel geminata, & cum aliis mixta* videbantur. Ediderunt hanc collectionem, B. Rhenanus Vitus Amerbachius, Ioach. Vadianus, Heroldus P. Pithoeus, Iac. Sirmondus & nouissime Steph. Baluzius.

* Ansegiso, Abbati Lobiensi, hanc collectionem tribuit Sigeb. Gemblac. in Chronic. ad ann. DCCCXXVII. Ansegiso, Archiep. Senonensi, Odorann. in Chron. ad ann. DCCCLXXXII. Ansegiso, Abbati Fontanellensi Baluz. in Proleg. §. XXXIX.

Sed

Sed vti manifesto errant. qui auctorem faciunt Ansegisum Archiep. Senonensem: ita sunt, qui Ansegisum Abbatem Lobiensem postea Fontanellensi monasterio praefectum contendunt. Quae si probari possent, Baluzium Sigeberto facile conciliaremus.

§. XXXIX.

Postea anno *DCCCXLV*. nouam collectionem Otgarii Archiepiscopi Moguntini auspiciis adornauit BENEDICTVS, Leuita Moguntinus, quam Ansegisianae collectionis veluti auctarium esse voluit. Constat illa libris tribus, in quibus nec delectu, nec ordine vsus est bonus ille Leuita. His deinde nescio quo auctore accesserunt Additionum libri IV. Vtraque collectio in foris Francicis tum Germaniae, tum Galliae, maximi vsus fuit: Ansegisiana tamen etiam Ludouici Pii & Caroli Calui auctoritate firmata. Vid. Steph. Baluz. Proleg. §. XLVII. sequ. Conring. de Orig. Iur. Germ. cap. XV. Quin ipse LOTHARIVS Imp. nouam collectionem in vsum Italorum confecit, Baron. Annal. Eccles. ad ann. *DCCCXLVII*. n. 12. quam edidit Melch. Goldastus in Collect. Leg. & Consu. Germ. p. 102.

Nec non a Benedicto Leuita & Lothario.

A Carolo M. ad finem stirpis eius in Germania leges patriae adhuc valuerunt.

§. XL.

Iam ex his facile patet, quaenam fuerit iuris Germanici facies a Carolo M. vsque dum eius stirps apud Germanos defecit, id est ad ann. *DCCCCXI.* Primo enim adhuc singulae gentes legibus suis propriis vtebantur. Id quod vel inde patet quod multo post ad Legem Baiuuariorum ipse prouocat Henricus II. Rex: Adelbold. Vit. S. Henrici cap. X. apud Leibnit. Tom. I. p. 423. quodque idem Imperator eiusque successor Conradus Salicus Saxonum leges confirmasse dicuntur. Ditmar. Merseb. V. p. 386. ed. Leibnit. Wippo in Vit. Conradi p. 430. quin & lex Alamannica pro norma fuit Conrado I. Regi Germ. in ferenda anno *DCCCCXIV* sententia, Ekkehard. de Cas. Mon. S. Galli cap. I. vt taceam manumissionem, per iactum denarii secundum legem Salicam factam sub Zuenteboldo, Lotharingiae Rege, cuius charta ea de re exstat apud Buchel. ad Hedam de Episc. Vltraiect. p. 70.

§. XLI.

Nec non Capitularia Regum.

Deinde maximae auctoritatis hoc temporis interuallo erant CAPITVLARIA Caroli M. & Ludouici Pii, quod solide de-

demonſtrauit Hermann. Conring. de Orig. iur. Germ. cap. XVII. p. 90. Ad ea enim prouocant patres Concilii Moguntini anno *DCCCLII.* cap. XVI. itemque Synodi Colonienſis ſub Carolo Craſſo habitae cap. III. Concilii Moguntini anno *DCCCLXXXVIII.* cap. XXI. & XXIII. indicio ſatis luculento, toto illo tempore ſancta adhuc Germanis fuiſſe illa Regum Francorum capitularia.

§. XLII.

Et ſi quas alias nouas leges tulerunt Caroli ſucceſſores.

Praeterea nullum eſt dubium, quin nouas ſubinde leges tulerint Ludouicus Germanicus eiusque poſteri: quamuis eae, quas edidit Goldaſtus Tomo I. Conſt. Imp. p. 274. ſequ. non ex chartis authenticis, ſed ex Auentini annalibus, Legibusque Langobardicis, deſumtae videantur. Omnium celeberrima tamen eſt conſtitutio de expeditione Romana, CAROLO Craſſo vulgo tributa, ſed a multis reiecta, criticisque ſtricturis confoſſa. Sed quum, qui plurimum illi conſtitutioni tribuunt, eam non a Carolo Craſſo, ſed Conrado Salico profectam exiſtiment, non eſt ſane, quod hic illi immoremur.

§. XLIII.

An & iuris Romani aliquis vsus fuerit?

Quaeri posset, an non & iuri Romano in Germania tum locus fuerit? Responsum cape. Quum Franci iis tantum iuris Romani vsum concederent, qui illi iam antea adsueuerant: (§. XVIII.) toto hoc tempore in Gallia non exoleuisse iuris, Rom. vsum, satis adparet ex Hincmar. Opusc. XVI, 5. Tom. II. p. 225. Opusc. LV. T. II. p. 440. 509. 587. 739. vt iam non dicamus de conciliis Gallicanis & Iuonis Carnutensis Decreto, in quibus ad leges Romanas, etiam Iustinianeas, & e pandectis depromtas, saepissime prouocatur. Add. Strauch. Amoen. Iur. Can. ecl. II. Cap. VII. p. 33. Id vero de Germanis dici non potest, quippe quos numquam Romani in prouinciae formam redegerant. Hinc consequens est, vt iuris Romani vsum tum nec desiderarint vmquam, nec habuerint. Interim, quum Capitularia apud eos maximae fuisse auctoritatis, fassi simus, (§. XLI.) in iis vero paucula ex iure Romano deprompta sint: * eatenus dici potest, aliqua ex eo iure profecta tum quoque in Germania locum habuisse.

* In ipsis Ludouici Pii Capitularibus addit

IV.

IV. §. CII. ius Romanum vocatur *omnium humanarum mater legum*, adeoque non mirum est, quaedam ex illo in vsus suos conuertisse Francorum Reges. Pauca tamen esse, & vix alicuius momenti, ipsorum Capitularium lectio vnum quemque conuincet, vt paullo laxius scripsisse videatur V. C. Burc. Gotth. Struuius Hist. Iur. VI, 11. p. 435. *Fontes horum capitularium ipsas fuisse leges Romanas, ex eo potissimum patet, quod lex Romana omnium humanarum legum mater dicatur.*

§. XLIV.

Sub Saxonicis Imp. legibus patriis adhuc vixerunt gentes Germanicae.

Eadem omnia ab exstincta apud Germanos stirpe Carolingica vsque ad Saxonicae familiae interitum obtinuisse videntur. Nam tunc quoque singulos Germaniae populos veteres suas leges, quas reges Francici scriptas promulgarant, sequutos esse, ex iis, quae supra (§. XL.) obseruauimus, & obseruabimus paullo post, facile colligitur: idque innuere videtur Wittich. Annal. II. p. 21. seq. dum *leges diuinas & humanas auctorali vigore* Ottonis M. *polluisse, & coniuratos secundum leges meritas luisse poenas* scribit. Vid. Hert. de Consult. legib. & iudic. in spec. Rom. Germ. Imp. rebusp. §. XII. p. 419. Accedit,

cedit, quod ad LEGEM SAXONICAM in chartis ſuis ſe referunt anno DCCCC LII. Otto M. apud Stangefol. Annal. Weſtph. II. p. 185. multoque poſt anno DCCCCXCVII. Otto III. apud eumdem p. 203.

§. XLV.

Lex Sax. tamen aucta ab Haraldo, Rege Daniae.

Quod tamen ad LEGEM SAXONICAM & FRISICAM attinet, eam Ottonis II. temporibus non parum vel immutauerat vel auxerat HARALDVS, Rex Daniae, qui tum tranſalbinas proximasque regiones inuaſerat, & tum his, tum Freſonum genti leges & iura conſtituere coeperat. Referunt hoc Adam. Brem. Hiſt. II, 19. & Helmold. Chron. Slau. I, 15 qui addunt, gentes iſtas leges illas Heraldinas *pro tanti auctoritate viri adhuc hodie ſeruare contendere.* Sed harum additionum hodie nihil exſtat.

§. XLVI.

Capitularium etiam vſus aliquis.

Quid? quod ne CAPITVLARIVM quidem vſus circa haec tempora exoleuiſſe in Germania videatur. Auctorem enim habemus Continuatorem Reginon. ad ann. DCCCCLII. *conſtitutum eſſe in Francofurth a Rege glorioſiſſimo, Ottone, anno*

anno illius XV. consentientibus Episcopis, comitibus, aliisq; fidelibus compluribus, canonum sanctorumque patrum auctoritate, nec non CAPITVLARIVM *praecedentium institutis coram positis.* His ipsis tamen temporibus paullatim ab vsu recessisse illa regum Francorum capitularia, suspicatur Baluz. in proleg. §. 1.

§. XLVII.

Leges nouae sub Ottonibus latae.

Accesserunt & hoc temporibus interuallo variae leges nouae, a Regibus & Imperatoribus, vel missis in suffragia ordinibus, vel commissis campionibus, quos vocabant, latae. Ita sane in comitiis Stelensibus Otto M. interpretatione authentica decidit quaestionem iuris Germanici, *num nepotes cum filiis ad hereditatem simul admittendi sint, nec ne?* * Rem enim Otto M. inter gladiatores discerni iussit, vicitque pars, quae filios filiorum computabat inter filios, & hinc lege perpetua firmatum, vt aequaliter cum patruis hereditatem diuiderent. Witich. Saxo Annal. II. p. 644. Sigeb. Gemblac. ad ann. *DCCCCXLII.* Plures alias Ottonum leges collegit Goldast. Const. Imp. Tomo vno

vno p. 215. sequ. p. 225. sequ. Tom. III. p. 303. sequ. & p. 309. sequ.

* Quum de iure repraesentationis nepotibus concedendo tum ambigerent Germani: eo minus mirandum, Saxones illud nunquam concedere voluisse fratrum sororumue liberis, quin sibi ius patrium reseruasse, quum in comitiis aliud publica lege statueretur. Qua de re alibi. Iam id obseruo, in Geldria id ius repraesentationis anno demum DLX. inuectum esse, Pontan. Hist. Geldr. Lib. XIV. p. 882.

§. XLVIII.

An & iuris Romani vsus.

Iuris Romani hoc saeculo in Germania nec vola nec vestigium adparet: quamuis eo subinde vterentur Reges & Imperatores, quoties Italis, & maxime Langobardis, leges praescriberent. Exstat sane in Lege Langob. II, 47, 11. Henrici Imp. constitutio, de iureiurando calumniae clericis remittendo, in qua constitutio D. Marci, (vel Marciani potius, *l. 25. C. de episc.*) Iustiniani sanctio, & legisperiti ab imperatore in consilium adhibiti memorantur.

§. XLIX.

Origo iuris Cano-

At certius est, his temporibus paullatim iuris canonici auctoritatem permagnam

nici in Germania.

gnam eſſe coepiſſe in Germania. Quemadmodum enim paullo ante haec tempora circa annum *DCCCCVI.* Regino Prumienſis in regno Lotharingico iuſſu Ratbodi Archiep. Treuerenſis, de diſciplina eccleſiaſtica libros II. ex Canonibus antiquis decretisque pontificum compilauerat, quos poſt Ioach. Hildebrandum Helmſtadienſem iterum edidit Baluz. 1671. ita paullo poſt ſub initium ſaeculi XI. ſcripto *magno canonum volumine*, ex iisdem, at inquinatioribus aliquanto fontibus ius eccleſiaſticum deriuauit BVRCHARDVS, Wormatienſis Epiſc. Sigeb. Gembl. de Script. eccleſ. CXLI. & ſequ. & in Chron. ad ann. M VIII. Chron. Wormat. cap. XIII. apud Ludewig. Reliqu. MSSC. Tomo II. p. 55. Prodiit hoc opus Col. anno *MDXLVIII.* & Pariſ. *MDL.* fol. tantamque ſenſim auctoritatem obtinuit, vt non modo Sigeb. Gemblac. d. cap. *CXLI. ex eo adbuc* ſuo tempore *omnium conciliorum decreta auctorizari*, ſcribat, ſed & apud vulgus canoniſtarum multo poſt inualuerit, vt regulas iuris, omni exceptione maiores, & vſu fori probatas, BROCARDICA, quaſi *Burchardica* adpellarent. *

*Ta-

* Talia *Brocardica* primus ſcripſit DAMASVS, vetus iuris canonici Doctor, quae deinde recognita, & ex MSCis exemplaribus edita ſunt Col. 1564. Ex praefatione haec decerpſit Strauch. Amoen. Iur. Can. ecl. VI; cap. VI. p. 112. BVRCHARDICA *inſcribuntur, a Burchardo Epiſcopo Wormatienſi, qui primus ea tempeſtate coepit ius pontificium ad generales quasdam theſes reuocare. Ex Gallis atque Italis plerique, originationem verbi ignorantes, corrupte Brocardum & Brocardum adpellant.*

§. L.

Sub Imperatoribus Franconicis leges patriae in vſu.

Supereſt, vt qualis ab Henrici II. Regis ac Imp. obitu ad Lotharium Saxonem vſque iuris Romani fuerit facies paucis oſtendamus. Leges patrias SAXONVM, ALAMANNORVM, BAIVVARIARVM & ſub his conſtanter viguiſſe, dubio videtur carere. Leges enim Saxonum firmaſſe Conradum Salicum, ſupra ex Wippone oſtendimus. (§. XL.) Ad Legem etiam Salicam in regno Burgundico anno MIX. viuere ſe profitetur Otho Comes, Arduini, Regis Italiae filius; apud Guichenon. Bibl. Sebuſ. Cent. II. n. 3. p. 188. Vt iam non dicam, Guilielmum Marchionem in alia charta anno *MCLVI.* pro-

profiteri, ſe viuere lege Salica, quemadmodum eius coniux, Iulita, Leopoldi Auſtriaci filia ſua ſe *lege Alamannorum* viuere ait. Ibid. Cent. I. n. 99. p. 170. Quae charta quamuis ad Burgundiam pertineat, ſatis tamen euincit, illo tempore Auſtriam *legem Alamannicam* coluiſſe, & Iulitam more iſtorum temporum leges originis ſuae nuptam quoque retinuiſſe.

§. LI.

Multae etiam leges nouae conditae a Conrado Salico.

Quemadmodum vero hoc temporis interuallo nulla amplius ſit mentio Capitularium Regum Francorum: ita tanto frequentius nouas leges tulerunt Imperatores & Reges. De Conrado ſane II. Martinus Polon. cap. XCIV. *Hic*, inquit, *multas leges condidit.* Et exſtant quaedam eius conſtitutiones non modo in Lege Langob. III, 8, 4. ſed & *II. F. 9. ſ. vlt. & II. F. 34. & 40.* (quamuis eae ad Italiae regnum potius, quam ad Germaniam, pertinere videantur) & apud Goldaſt. Conſt. Imp. Tom. III. p. 312. Eidem celeberrimam conſtitutionem de expeditione Romana vindicant Schilterus, ad Ius Feud. Alam. VIII, 11. Schurzfleiſchius Diſſ. de Conrado Imp. Aug. eiusque dipl. quod

 de

de exped. Rom. inscribitur. Wittenb. MDCC II. & nouissime V.C. Ge. Christ. Gebauerus in Adpend. ad Schilt. Inst. Iur. Feud. Lips. 1728. 8. Attamen ne sic quidem suspicione omni carere videtur constitutio illa, quae tot aliorum virorum doctorum censuras, ex quo lucem vidit, experta est. * Editiones eius recenset laudatus Gebauer. in praef. p. 196. seq.

* Quum enim omnes, qui illam adhuc vindicare Conrado II. conati sunt, fateantur, eam solius Velserianae membranae fide niti, in hac autem initium & finem a mala manu esse: ecquis fide sua nos iubebit credere, reliqua omnia integra, ac sincera esse? Qui nobis titulo & subscriptione illusit, an eum in reliquis bona fide agere voluisse credibile est?

§. LII.

Eiusque successoribus. Sic & Henrici III. constitutionem de veneficiis protulit Goldastus Const. Imp. Tom. III. p. 312. qui ibidem & Tomo vnico p. 252. etiam Henrici IV. & V. quasdam edidit. Sed quum non vbique satis ἀκριβῶς genuina a falsis distinxerit vir ceteroquin diligentissimus: de his similibusque iurisprudentiae publicae priuataeque monimentis, quae ex Goldasti scriniis prodie-

prodierunt, paullo amplius videtur deliberandum.

§. LIII.

An & iuris Romani aliquis vsus?

Iuris Romani ne hoc quidem tempore vllam inter Germanos mentionem fieri animaduertimus, quamuis eius veſtigia nobis videamur anxie quaeſiuiſſe. Video quidem, in ferali illo certamine, quod inter Gregorium P. P. VII. & Henricum IV. interceſſit, aliquando ad ius Romanum prouocatum, ſed ab Italo, vt videtur, Venerico nimirum Vercellenſi de vnitate Eccl. conſeru. p. 16. edit. Schardii: at in Germanorum ſcriptis, inter quae Leodienſium Epiſtolam apologeticam, Walrami Numburgenſis Epiſcopi librum de inueſtitura, aliaque eorum temporum opuſcula a Goldaſto in Apol. pro Henrico IV edita euolui, tale quid reperire me nondum potuiſſe, fateor.

CAP. III.

DE STATV IVRIS GERMANICI A LOTHARIO IMP. AD TEMPORA, QVIBVS IN GERMANIA ACADEMIAE INSTITVTAE.

§. LIV.

A Lotha-

QVamuis fabulam, quae circumfertur de

rii III. Imp. temporibus magna iuris Germanici mutatio facta est.

de iure Romano, iussu Lotharii III. Imp. in foris & academiis recepto, adeo profligarit Herm. Conringius de Orig. iur. German. cap. XXI. sequ. vt verbum addere pigeat: verissimum tamen est, ex eo tempore aliam paullatim factam esse iuris Germanici faciem, & ius Romanum, quod in vniuersa paene Europa adeo inualuerat, vt miraretur orbis, se tam cito factum esse Romanum, etiam in Germania sensim lacertos mouere coepisse.

§. LV.

Ab eo tempore in vniuersam fere Europam cultiorem ius Romanum penetrauit.

Quum enim ab eo tempore, vt supra ostendimus, iuris Iustinianei studium Bononiae quam maxime ferueret, & ex vniuerso cultiore orbe iuuenes, tanquam ad mercatum sapientiae ciuilis, eo confluerent: reduces in suam quique patriam, & summis in toga dignitatibus aucti, tantum iuri Romano auctoritatis conciliarunt, vt illo passim tanquam subsidiario vterentur, ipsaque instrumenta sua ad eius iuris regulas anxia diligentia componerent.

§. LVI.

Veluti in Angliam.

Sane Seldenus in Diss. ad Flet. cap. VII. §. 11. sequ. praeclare ostendit, eodem tem-

tempore, quo Bononiae reflorescere coeperint studia iuris, non modo Codicem Theodosianum, sed mutilum, vna cum Nouellis Theodosii, Caii Institutionibus & Paulli Sententiis in Anglia edidisse Guilielmum Malmesburiensem: sed & iisdem temporibus, regnante Stephano, Theobaldum, primatem, Iustinianeum corpus eo transuehendum curasse. Ioan. Sarisber. in Policrat. VIII, 22. Id deinde publice *ibi* cum applausu exposuit Rogerius Vacarius, gente Langobardus, coaeuus Irnerio, Martino, Bulgaro ICtis, & postea Abbas Beccensis, sed edicto demum regio Stephani, teste eodem Io. Sarisb. & Rog. Baconio, prohibitus. Nihilo minus tamen *Deo faciente*, vt Sarisberiensis verbis vtamur, *eo magis virtus legis inualuit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare.* *

* A Stephani Regis temporibus diutissime iuris Romani vsum in Anglia viguisse, & sub Eduardi demum III. Regis initia euanuisse, toto Capite VIII. Dissertationis ad Fletam solide demonstrat Seldenus; p. 1093. Vol. II. Op. vt dici possit, prius, quam plerasque alias gentes Europaeas, & recepisse ius Romanum Anglos, & eidem nuncium misisse.

§. LVII.

§. LVII.

In Galliam. Paullo post & in Galliam penetrauit Romana iurisprudentia. Placentinum enim in Monte Pessulano ius docuisse, testis est Pancirol. de Clar. Leg. Int. II, 20. Et hinc iam a saeculo duodecimo haut pauca in Aquitania saltim & Narbonensi prouincia iuris Romani vestigia, quae accurate suo more consectatus est Vir doctissimus M. Ant. Dominicus de praerog. allod. XX, 1. Circa ea sane tempora Petrus, Comes Melgoriensis, in charta profitetur: *Si quis autem heredum aut successorum meorum contra hanc donationis & confirmationis auctoritatem insurgere praesumtuose, & obuiare, quod absit, attentauerit, non valeat vindicare, quod iniuste repetit, & persoluat mulctam, quam sancta lex Romana per Theodosium Arcadium & Honorium promulgata decreuit.* Vbi donatorem in animo habuisse, *l. 34. C. Theod. de episc. & cler.* res ipsa docet. Et apud Guil. Briton. Philippid. II. v. 45. sequ. anno *MCLXXXVII.* ita inter se, allegatis iuris Romani rationibus, contendunt Philippus, Rex Franciae, & Flandriae Comes, vt ad v. 55. notet Barthius p. 91. *Vides iuris*

ciui-

ciuilis non ignaros, quod tum per ſcholas iam regnabat.

§. LVIII.

Ex Gallia facile id ius in Burgundiam, iuris Germanici regnum, penetrauit. Id quod maxime patet ex Guichenonii Bibliotheca Sebuſiana, in qua iam hoc ſaeculo occurrunt diplomata, iuris ciuilis Iuſtinianei gemmulis diſtincta. Quale eſt illud Cent. I. n. 81. Fridrici I. Imp. anno *MCLVII.* conſcriptum, in quo mentio fit *meri & mixti imperii, conditorum teſtamentorum, heredum inſtitutorum, dotis conſtitutae, legati facti*, & ſimilium, quae ex iure Romano eſſe, nemo non videt. Quin & Hiſpanis eodem tempore innotuiſſe videntur leges Romanae, quippe ſaeculo inſequente XIII iis tam familiares, vt Alphonſus X, Caſtiliae Rex, conficiens legum corpus, quod Partitas Hiſpani vocant, permulta ex iure Romano deſumſerit. Arth. Duck de vſu & auctor. iur. Rom. II, 7.

In Burgundiam & Hiſpaniam.

§. LIX.

Non mirum ergo, ſi ſenſim etiam in Germaniam noſtram viam ſibi muniuit ius Romanum, tanto vbique plauſu receptum.

Cur & Germanis adriſerit?

ptum. Nam & in ea legum Doctores & iurisperiti ad ſummas in eccleſia, aulis & foris dignitates adſpirabant: & Imperatores ac Reges ipſi, a Pontificibus Romanis exagitati, fauebant iureconſultis, in quibus ſibi haut parum praeſidii poſitum exiſtimabant, aduerſus Pontificum iniurias, & ipſa denique conſilia Pontificum Rom. ius canonicum obtrudentium regnis ac rebusp. Chriſtianis, non felicius turbari poſſe videbantur, quam ſi iura Romana ciuilia in foris ac gymnaſiis dominarentur. *

* Quanti tum fieri coeperint iurisperiti, vel inde patet, quod in Henrici VI. Imp. laudibus poneretur, *quod fuerit dotibus inſignitus ſcientiae liberalis, & floribus eloquentiae redimitus, & eruditus Apoſtolicis inſtitutis & legibus Imperatoriae maieſtatis.* Alberic. Monach. in Chron. ad ann. M C LXXXV. quodque Bertholdo anno M C LXXIX. ad Archiepiſcopatum Bremenſem euecto, praecipue profuerit *decretorum legumque peritia.* Anon. Hiſt. Epiſc. Brem. p. 94. Fridericum porro Imp. ſibi quam maxime conciliare ſtuduiſſe ICtos, ſatis patet ex illius Imp. oratione apud Radeuic. II, 3. & iis, quae de dominio mundi cum Bulgaro & Martino colloquutus

quutus est apud Ottonem & Acerbum Moren. de Reb. Laudens. ad ann MCLVIII apud Leibn. Script. Rer. Brunsu. T. I. p. 818. vbi etiam in iura regalia Imperatorem per magistros Bononienses & iudices vniuersarum Lombardiae ciuitatum inquisiuisse, legimus.

§. LX.

Gliscente enim iuris Romani vsu, DECRETVM, seu CONCORDIAM DISCORDANTIVM CANONVM, circa annum *MCLII* ex Dionysio Exiguo, Isidoro, Iuone, Burchardo, aliisque canonum collectoribus compilauit GRATIANVS, patria Clusinus, non Rom. ecclesiae Cardinalis, quod visum Alberico Monacho in Chron. ad ann. *MCXLVI*, sed monachus Benedictinus Classensis, quique vt eo commodius hunc laborem exantlaret, Bononiam secesserat. Chifflet. Diss. apol. Cap. V, 4. Pancirol. de Clar. Leg. Interp. III, 2. Huic Canonum corpori postea accessere variae additiones, quae PALEAE canonistis vocantur, quas diuersis temporibus primum exemplarium adscriptas marginibus, postea in ipsum textum migrasse, codicum MSC.

Decreti origo.

 fide

fide probarunt Pithoei fratres in praefat. edit. suae praemissa.

§. LXI.

Illud & Germanis, & aliis gentibus obtrudere volebant Pontifices.

Quamuis vero priuatum hoc monachi opus nec eo iudicio ac cura confectum sit, vt nomen *concordiae discordantium canonum* sine rubore sustineat, Ziegl. Diss. praelim. ad Lancell. §. XXXVIII. nec a Pontifice aliquo vnquam iuris robur acceperit: nihil tamen reliqui fecerunt Pontifices, vt illud gentibus omnibus obtruderent, licet irrito aliquamdiu conatu, quum tot experimentis moniti Reges & Principes, non possent non subolfacere, quid ea legislatione adfectet aula Romana. * Maluerunt ergo iuris Iustinianei studia euehere, quam collum submittere iugo illi Pontificis Romani durissimo. Selden. in Diss. ad Fletam. VI, 5. p. 1078.

* Probauit hoc laudatus Seldenus insigni loco Orderici Vitalis Hist. Eccl. lib. XIII. p. 919 qui verba faciens de concilio generali ab Innocentio II. Papa Romae habito, illisque qui illuc confluxerant: *Multa eis*, inquit, *Papa de priscis Codicibus propalauit, insignemque SACRORVM DECRETORVM TEXTVM congessit. Sed nimis abundans per vniuersum orbem nequitia*

quitia terrigenarum corda contra ecclesiastica scita obdurauit. Vnde remeantibus ad sua Magistris apostolica decreta passim per regna diuulgata sunt. Sed nihil, vt manifesto patet, oppressis & opem desiderantibus profuerunt, quoniam a PRINCIPIBVS & OPTIMATIBVS REGNORVM cum subiectis plebibus parui pensa sunt.

§. LXII.

Inde factum, vt iam saeculo XII. multoque magis insequente in Germania passim prouocetur ad ius ciuile Iustinianeum, quamuis, quum in Episcoporum curiis & Decreto aliquis locus esset, simul ius canonicum non exigui vsus haberetur. Collegerunt ex variis diplomatibus & scriptoribus rerum Germanicarum eiusmodi formulas, Hert. de Consult. Leg. & Iudic. §. XIV. Ill. Boehmerus in Iur. Eccles. Protest. I, 2, 48. Struu. Hist. Iur. VI, 39. p. 529. sequ. ex quibus patet, Germanos a saeculo XII. actus suos ciuiles ad vtriusque iuris normam componere coepisse. Quum vero & nobis, quantum per negotia licuit, inquirentibus talia quaedam in manus inciderint: ea cum reliquis secundum temporis seriem disponere non pigebit, ita tamen, vt & Burgun-

Hinc iuri Rom. pretium statutum.

gundici regni, quod tum Germanico vnitum erat, simul habeamus rationem.

§. LXIII.

Probatur id de saeculo XII.

Ex saeculo XII. non nisi pauca adferre licet, sed insignia. Anno enim *MCL.* apud Guichenon. Bibl. Sebus. Cent. II, 54. contrahentes renunciant *exceptioni non numeratae pecuniae, & non habitae, & omni LEGVM & CANONVM auxilio, super hoc competenti, vel competituro.* Paullo post, anno *MCLVII.* in diplomate Fridrici I. Imp. mentionem fieri *meri & mixti imperii, conditi testamenti, heredis instituti, facti legati,* iam supra (*§. LVIII*) ex Guichenonii Bibliotheca Sebusiana Cent. I, 81. ostendimus. Anno *MCLXXIX.* in dissidio Volcmari & Rudolphi, diuisis suffragiis ad Archiepiscopatum Treuerensem euectorum, Volcmarus *sequebatur curiam Romanam, pro eoque esse videbatur iustitia canonum, quum legistae pro parte Rudolphi legum iura stare,* contenderent. Arnoldus Lubec. Chron. Slau. III, 10. Anno *MCLXXIX.* Bertholdum Archiep. Bremensem; ac demum anno *MCLXXXV.* Henricum VI. Imp. a decreto-

rum

rum legumque peritia commendatos esse, iam supra monuimus. (*§. LIX.* *)

§. LXIV.

Itemque de saeculi XIII. initio.

Insequens vero saeculum XIII. huiusmodi testimoniorum insignem dedit prouentum. Anno enim *MCCIX.* Capitulum Lugdunense ab ecclesia Clunianensi sibi stipulatur *seruitutem non altius tollendi*, Guichen. Bibl. Sebus. Cent. II. n. 15. Anno *MCCXXIV.* apud Schatenium Annal. Paderb. Lib. XIII. occurrit sententia, quae plane hodiernum litigandi modum redolet. Anno *MCCXXXV.* apud Guichen. Cent. II, n. 96. reperimus contractum venditionis, in quo praeter alia de pretio in rem verso reperimus formulam: *Renunciantes certa scientia exceptioni minoris pretii, non numeratae pecuniae, & non habitae, & priuilegio fori, & exceptioni doli, & errori in factum, & omni auxilio LEGVM & CANONVM, & omni iuri scripto, & non scripto.* Qualis renunciatio *exceptionum doli, in, factum, restitutionis in integrum*, etiam anno *MCC XLVI.* occurrit Cent. II, 98. quemadmodum anno *MCCXLIV.* apud eumdem Cent. I, n. 98. permutatio quaedam fit

de

de consilio IVRISPERITORVM, & amicorum. Et apud Leibnit. Cod. Iur. Gent. P. I. p. 16. habetur eodem anno conditum testamentum Ioannae, Comitis Flandriae & Hanoniae, in quo *clausula codicillaris, constitutio testamentariorum, testium subscriptio & subsignatio.*

§. LXV.

Eiusque fine. Talia vero & adultum iam saeculum XIII. ad finem eiusdem complura reliquit. In charta enim anni *MCCLII.* Rudolphus Landgrauius Alsatiae, apud Guillemann. Habsb. VI, 4. *renunciat omni iuris subsidio CANONICI & CIVILIS, consuetudinibus, constitutionibus editis & edendis*, & anno *MCCLIX. donationis propter nuptias*, suaeque *ad euictionem obligationis* meminit in charta apud eumdem VI, 2. Anno *MCCLXVI.* Simon, Episcopus Paderb. apud Schaten. Lib. XI. p. 112. prouocat ad *constitutiones LEGALES & CANONICAS*, & anno insequente Rudolphus, Comes Tubingensis *renunciat omni iuri* CANONICO seu CIVILI in Monim. Wurtemb. de monast. Blaubeuren n. III. Similes renunciationes insertas reperimus anno *MCC LXXVI.*

LXXVI. diplomati Ducum Slauorum & Episcopi Camin. apud Rangon. in Pomer. Dipl. p. 265. anno *MCCLXXVIII.* chartae Hermanni Comitis de Sulze, in Monum. Wurtemb. P. I. p. 255. anno *MCC LXXX.* litteris Rudolphi Regis Rom. apud Gewold. in Antith. ad Marqu. Freher. lit. B. anno *MCCLXXXI.* eiusdem diplomati apud Toelner. in Cod. Dipl. Pal. n. 112. p. 78. anno *MCCLXXXIII.* tabulis Capituli Ratisponensis apud Hund. Metrop. Salisb. Tom. I. p. 178. anno *M CCXC.* & *MCCXCII.* chartis, productis in Deduct. Stolb. n. VII. anno *MCCXCVI.* foederi inter Eduardum Regem Angliae & Guidonem, Flandriae Comitem, inito apud Leibn. Cod. Iur. Gent. T. I. p. 39. denique anno *MCC XCVIII.* chartae apud Ill. Cancell. de Ludewig. Reliquiar. Tom. V. p. 445.

§. LXVI.

Iam ergo his saeculis ius Rom. vna cum canonico inualuit.

Et haec quidem testimonia, quorum multo plura, si otium esset, accumulare facile potuissemus, satis superque indicant, iam ab ipsis Lotharii temporibus vtrumque ius canonicum & ciuile etiam in Germaniam paullatim penetrasse, adeo-

que

que non parum falli, qui saeculo demum XV. illud in academias primum, ac postea in forum, irrupisse existimant cum doctissimo Conringio de Orig. Iur. Germ. Cap. XXXII. Nec tenuia tum eius rei initia fuerunt, vti sibi persuadet vir doctissimus: sed certis argumentis constat, iam illis temporibus in ipso foro rationem vtriusque iuris esse habitam. *

* Ill. enim Cancell. a Ludewig in Programm. *von Verbess. des Teutschen Lehn-Rechts* p. 14. chartam edidit, ex qua adparet, Comitem Schwarzburgicum, iudicem Austregalem inter Electorem Brandeburgicum & Archiep. Magdeb. electum, auditis partibus, cognitaque caussa, noluisse tamen sententiam ferre, nisi *aduocatis prius Romani iuris peritis.*

§. LXVII.

Multoque magis saeculo XIV.

Vnde non mirandum, maxima incrementa iuris studium saeculo XIV. cepisse in vniuersa Germania. Tunc enim inter domesticos & palatinos Balduini Archiep. Treuerensis, quem anno *MCCC VIII.* electum constat, primo statim loco recensentur LEGISTAE & CANONISTAE. Auct. Gest. Balduini I, 12. Biennio ante mentio fit *actionum personalium, rea-*

realium & mixtarum apud Leibnit. Cod. Iur. Gent. T. I. p. 113. Anno *MCCC XXXIII* celebratur Vdalricus de Augusta, *Imperatoris ſcriba ſecretus, homo in vtroque iure peritus.* Trithem. Chron. Hirſaug. ad ann. *MCCCXXXIII.* Anno ſequente chartae Humberti, Delphini Viennenſis, ſubſcribit Amblardus de Bellomonte, IVRIS CIVILIS PROFESSOR, Protonotarius Delphinatus. Guichen. Bibl. Sebuſ. Cent. II, 18. In Decreto Renſenſi anno *MCCCXXXVIII* de iuribus Electorum dicitur: *Haec veriſſima eſſe, conuenit inter omnes Annalium, rerum humanarum diuinarumque peritos, atque iam ſaepius, VTRIVSQVE IVRIS, CAESAREI atque PONTIFICII, coeleſtis theſauri teſtimoniis comprobatum eſt.* Goldaſt. Tom. III. Conſt. Imp. p. 409. Teſtamentum Henrici Ep. Lubec. ann. *MCCC XL.* plane ad iuris Rom. formulas conditum ex chartulario Lubec. eruit illuſtr. Boehm. Iur. eccl. I, 2, 47. p. 115. In charta de anno *MCCCXLIII* memorantur *ſubſtitutio teſtamentaria, ſtipulatio ſollemnis, donatio inter viuos,* apud Guichen. Bibl. Sebuſ. Cent. II. n. 22. *Emancipationis ſolle-*

lemnis Philippi, Ducis Burgundiae, exemplum est apud Leibnit. Cod. Dipl. Iur. gent. Tom. I. p. 221. In Academia Viennensi anno *MCCCLXV* fuere *Professores iuris* CANONICI & CIVILIS. Lambec. Bibl. Vindeb. II, 5. p. 85. 164. sequ. Vt iam non accumulemus innumeras formulas, quibus iuris vtriusque beneficiis annis fere singulis huius saeculi nuncium miserunt Germani nostri. *

* Tales formulas hic tantum per lancem saturam indicabimus. Occurrunt eiusmodi renunciationes, factae anno M CCC V. apud Leibn. Cod. Dipl. Iur. gent. T. I. p. 113. anno M CCC VI. *in der Waldeckischen Ehren Rettung n. 36. p. 3.* anno M CCCXI. & MCCC XVIII, in Chartulario Lubecensi de quo Ill. Boehm. I, 2, 47. p. 115. anno M CCC XIX. apud Ill. Ludewig. Reliqu. MSC. Tom. VI. p. 4. 6. anno M CCC XXIV. apud Schaten. Annal. Paderb. Lib. XIII. p. 360. anno M CCC XXVIII. apud Leibnit. Tom. I. p. 128. anno *M CCC XXX* & *M CXXXI.* apud Ludewig, Reliq. Tomo V. p. 553. & 625. anno *M CCC XVIII.* & sequente apud eumdem Tom. V. p. 546 548. 630. 639. 565. anno *M CCC XLI.* apud Leibnit. Tom. I. p. 154. anno *M CCC LVI.* apud Ludewig. Tom. V. p. 518. anno

no *MCCCLXVII.* in Monim. Wurtemb. Part. I. p. 917. anno *MCCCLXXVII.* apud Schaten. Annal. Paderb. p. 399.

§. LXVIII.

Pontifex Decretales publicat.

Quo magis vero feruebant his saeculis iuris ciuilis studia: eo magis de ecclesiastici incrementis sollicitus erat Pontifex Romanus. Hinc post collectiones varias ISIDORI MERCATORIS, IARLANDI, ipsorumque Pontificum collectiones Gregorius PP. IX circa annum *MCCXXX* per RAYMVNDVM DE PENNA FORTI, Capellanum suum, compilauit DECRETALIVM libros quinque: Matth. Paris. ad ann. *MCCXXXV.* Io. Chifflet. de Iur. Architect. cap. VI. Ziegl. in Diss. praelim. ad Lancell. §. LI. sequ. cui postea anno *MCCXCVIII* librum VI, eodem modo in libros V diuisum adiecit Bonifacius Papa VIII. Henr. Stero in Annal. ad ann. *MCCXCVII.* eumque cum superioribus in fora & academias introduci iussit, quamuis in Gallia auctoritatem minime obtinuerit. Franc. Duaren. praefat. libri de Sacr. Eccles. minist. Iis saeculi sequentis anno XIII accessere CLEMENTINARVM itidem libri V, a Cle-

mente PP. V. ita adpellatae. Baluz. de Pap. Auenion. p. 60. & EXTRAVAGANTES tum IOANNIS PP. XXII. anno *MCCCXL;* tum COMMVNES, exeunte saeculo XV collectae. Ziegl. Diss. prooem. ad Lancell. §. LVIII.

§. LXIX.

Germani de conseruando iure patrio laborare incipiunt.

At non tamen ideo nuncium iuribus patriis mittebant Germani, sed iuribus his peregrinis tantum vtebantur, tanquam illorum supplemento. Quin erant, qui aegre ferrent, has lacinias iuri Germanico adsui, ac proinde illud conseruare omni ope niterentur. Quo factum, vt ipsi Reges Germaniaeque ordines leges veteres in vsum reuocare, consuetudinesque litteris mandare studerent, & subinde nouas conderent, quibus obicem quodammodo ponerent peregrinis istis iuribus.

§. LXX.

Hinc veteres leges ac iura seruari iubent.

Imperatores & Reges ipsos cum imperii ordinibus de conseruando iure patrio fuisse sollicitos, primo inde patet, quod his saeculis non semel publica lege cauerunt, vt iuri antiquo patrio sua constaret auctoritas. Sub Ottone enim IV. Imp. anno *MCCVIII.* in comitiis Francofurtanis san-

ſancitum, *vt omnia iura a Carolo M. inſtituta, obſeruarentur, tenerenturque.** Gothofr. Monach. in Chron. ad ann. *MCC VIII.* Anno *MCCXXV.* in comitiis Moguntinis celeberrimis, teſte eodem Gothofredo, *pax iurata, vetera iura ſtabilita, noua ſtatuta, & Teutonico ſermone in membrana ſcripta omnibus publicata.* Quod vetuſtiſſimum legis patria lingua ſcriptae monimentum edidit Goldaſt. P. II. Reichs-Satzung. p. 17. Eodem feruore legum patriarum vſum firmatum animaduertimus a Rudolpho Habsburgico, in comitiis non ſolum Herbipolitanis, anno *MCC LXXXVII.* ſed & Spirenſibus anno *M CCXCI.* apud Lehm. Chron. Spir. V, 108.

* Nec tamen hic intelligenda videntur Capitularia, ſed leges Saxonibus, aliisque gentibus Germaniae a Carolo M. latae. Et iam fere in conſuetudinem res abierat apud Germanos, vt quaeuis paene gens mores ſuos ac priuilegia Carolo M. tribueret. Exempla in iure tum prouinciali Saxonico, tum Weichbildico, itemque apud Friſios, aliasque gentes vbique occurrunt. Conr. de Orig. Iur. Germ. Cap. XIII. Gryphiand. de Weichb. Cap. LIV.

 §. LXXI.

§. LXXI.

Imperatores & ordines nouas leges condunt.

Deinde ipsos Imperatores Principum consilio a Lotharii temporibus frequentius tulisse leges nouas, easque scriptas promulgasse in imperio, satis constat. Tales fuere leges Fridrici I. feudales, de quibus Radeuic. de Gest. Fridrici I. Imp. II, 7. tales eiusdem constitutiones apud Goldast. Constit. Imp. Tom. III. p. 330. Talis eius pax publica, in comitiis Noribergensibus anno *MCLXXXVII.* publicata, de qua Abb. Vrsp. ad annum *MCLXXXVII.* & Datt. de pace publ. cap. VI. §. 69. p. 19. Supersunt & aliquot leges Ottonis IV. apud Goldast. Tom. III. Constit. p. 371. Fridrici II. de quibus Pfeffing. in Vitriar. illustr. I, 2. p. 67. Vt alia huius generis omittamus. Mirandum enim profecto, collectiones Recessuum imperii antiquiorem nullam exhibere, quam ex saeculo XV in cuius rei caussas inquirit ill. Cancell. a Ludewig in Aur. Bullam Tom. I. p. 15.

§. LXXII.

Iuraque patria in scriptu-

Deniq; tam certum, quam quod certissimum est non aliam ob caussam ab his temporibus scribi coepisse tot leges prouinciales

ales ac ſtatuta, quam vt irruentibus in forum iuribus iſtis peregrinis obicem ponerent Principes ac ciuitates. Iac. Fridr. Ludou. Prooem. Spec. Sax. §. XII. ſequ. Nec alio pertinent illa Repkouii Lib. I. art. 3. Der Bapſt mag kein Recht ſetzen, da er unſer Land-Recht oder Lehen-Recht mit aendern oder kraencken moege. Eo conſilio ſaeculo XII ad ſcribendum Speculum Saxonicum EPKONEM DE REPKAV excitauit HOYERVS A FALKENSTEIN: eodem ſcriptum eſt SPECVLVM SVEVICVM, totque ex eo tempore condita ſunt iura prouincialia & municipalia ſtatuta, vt taedioſum eſſet, eorum numerum inire.

ram redierunt.

§. LXXIII.

Speculi Sax. auctor & aetas.

Quod ad Speculum Saxonicum attinet, auctoris vtriusque aetatem nos ignorare haut patiuntur tot chartae ac diplomata, in quibus commemorantur. Teſtis enim citatur HOYERVS COMES DE VALKENSTEIN anno *MCCXV* apud Bekmann. Hiſt. Anhalt. P. III. Lib. II. p. 213. & anno *MCCXIX* in Charta alia Henrici Comitis de Aſchersleue apud Leukfeld. Antiqu. Pold. p. 288. eique

 iun-

iungitur HECCO vel EICO de REP-KAV vel REPECHOVE. Idemque HOYERVS laudatur anno *MCCXXX*, *MCCXXXIII* & *MCCXLI* in diplomatibus quibusdam apud Ketner. in Antiqu. Quedl. p. 219. 260. & 264. & in Dipl. Quedl. p. 254. 256. ſeqq. 261. 264. 266. ſequ. 273. 279. 332. adeoque nullum eſt dubium, quin iisdem circiter temporibus compilatum a Repkouio ſit SPECVLVM ſeu IVS PROVINCIALE SAXONICVM. *

* Et quidem inter annum *MCCXV*. & *MCCXXXV*. Nam Lib. I. Iur. prou. Sax. art. 3. mentio fit *cap. non debet X. de conſangu. & adfin.* quod anno *MCCXV*. ab Innocentio PP. III. in concilio generali latum eſt. Ergo poſt illum annum perpolitum eſſe oportet hoc ſpeculum. Deinde Lib. III. art. 62. enumerantur feuda imperii vexillaria, in quibus locum non inuenit Ducatus Brunſu. & Luneburgicus: qui quum anno *MCCXXXV*. inſtitutus ſit a Fridrico II. conſequens eſt, vt ante hunc annum opus ſuum Repkouius abſoluerit. Conring. de Orig. Iur. Cap. XXX.

§. LXXIV.

De eo iudicium. Quamuis vero multi huius ſpeculi naeui

ui ſint, multae nugae ac naeniae, maxime vbi aut philoſophatur auctor, aut hiſtoricum agit, aut ius publicum Germanicum exponere conatur: fatendum tamen eſt, Repkouium laudabili induſtria collegiſſe iuris patrii per vniuerſam Germaniam inferiorem recepti reliquias. * Vnde huic Epkonis induſtriae reliquos eius naeuos, ſaeculo, quo ſcripſit, proprios, facile condonamus. Quod vero & ex iure canonico & ciuili Romano quaedam immiſcuit, (Vid. Ius Prou. Sax. II, 63. I, 37. II, 56.) nouo argumento eſt, iura illa peregrina iam tum Germanis haut ignota fuiſſe.

* Teſtis eſt ipſe Repkouius in praef. rythm.
Dies Recht hab ich nicht erdacht,
Es habens vor Alte auf uns bracht
Vnſere gute Vorfahren.

§. LXXV.

Ipſe Repkouius fatetur, initio ſe hoc opus Latine ſcripſiſſe poſteaque non ſine difficultate illud in linguam vernaculam transtuliſſe. *Praefat. rhythmica Spec. Sax.* Exſtat & hodie, Latinum exemplar, quod tamen non eſt a Repkouio, ſed ab homine peregrino, & fortaſſis Polono ne- *Eius editiones.*

nescio quo, siquidem hic interpres, quisquis sit, ne intellexisse quidem satis videtur linguam Germanicam, Schilt. Exerc. XVI, 35. Authenticum ergo exemplar lingua Saxonica antiqua, qualis in Ducatu Magdeb. & vniuersa inferiori Saxonia tum fuit, scriptum est, ceu & tot codices MSCi & editiones veteres testantur. At demum in dialectum Misnicam illud transtulerunt WOLFFGANGVS LOSS, *ciuis Fribergensis*, & CHRISTOPH. ZOBEL. Codices MSSC. qui passim reperiuntur, variasque operis editiones cum cura recensuere Gryphiander, Lambecius, Werlhoffius, Hertius, Struuius, Ludouici, Gaertnerus, quas repetere hic breuitas vetat & instituti ratio.

§. LXXVI.

Ius feudale Saxonicum. Accessit & IVS FEVDALE SAXONICVM, quod in Codicibus MSSC. iuri prouinciali plerumque, tamquam liber quartus, adiungitur, & eidem auctori EPKONI DE REPKAV tribuitur. Eiusdem sane illud aetatis videtur, eumdemque stilum ac methodum praefert, quam in Iure prouinciali obseruamus, vt nihil pro-

prohibeat, quo minus EPKONI tribuatur. De eo plura dixit Iac. Fridr. Ludouici in Proleg. Iur. Feud. Sax. Struu. Hist. Iur. VIII, 16. Thomas. Select. Feudal. §. IX. seq.

§. LXXVII.

Ius Weichbildicum.

Recentius est ius municipale Magdeburgicum, seu WEICHBILDICVM, quod vel exeunte decimo tertio, vel sequente demum saeculo Magdeburgi videtur compilatum, * & consuetudines istius ciuitatis, sed iuris ciuilis laciniis passim deformatas, complectitur, Weichb. Art. CXIX. CXXI. CXXVIII. non tamen ita, vt Aen. Sylu. in Europ. cap. XXIV. id iure vocet *ius ciuile adbreuiatum, & Saxonica lingua conscriptum.* De huius quoque iuris Weichbildici editionibus plura obseruarunt scriptores paullo ante laudati, in primis Iac. Fridr. Ludouici in Proleg. Weichb. §. XVI. seq.

* In Vindebonensi enim bibliotheca codicem quadringentorum annorum, iam superiore saeculo reperit Lambec. II, 8. p. 831.

§. LXXVIII.

Iuris Sa-

Quamuis vero Pontifici minime omni-

um

xonici au ctoritas. um placeret illud iuris Saxonici corpus, adeo vt plures eius articulos damnarint Gregorius Papa XI, anno *MCCCLXXI.* & poſtea Eugenius PP. IV: Vid. Bull. ad Archiepiſc. Rigenſ. poſt Spec. Sax. p. 485. tanto tamen plauſu receptum eſt non modo per archiepiſcopatum Magdeburgicum & terras Anhaltinas, vbi genuina huius iuris patria eſt, verum etiam per Miſniam & Thuringiam, marchiam Brandenburgicam, Luſatiam, Boemiam, Sileſiam, Ducatum Meclenburgicum, Holſatiam, terras Brunſuicenſes, quin & Boruſſiam, Poloniam, Daniam, Transſyluaniam, * vt veluti ius commune harum aliarumque gentium haberetur, & hinc frequentiſſime exteri, ſententiis grauati, ad Scabinatus Magdeburgicos prouocarent. Leuberi Stapul. Sax. n. DXL.

* In omnibus his prouinciis viuebatur iure Saxonico, quamuis alibi *ius prouinciale* ac *feudale*, alibi *ius Weichbildicum*, maiore polleret auctoritate. Fuſius hoc probauit Struuius Hiſt. Iur. VI, 23. qui & p. 475. de terris Meclenburgicis, & Brunſuicenſibus oſtendit, ibi abrogatum eſſe ius Saxonicum, adeoque eo ipſo eius vſum veterem in his prouinciis confirmauit. Sed quod ad

ad terras Brunsuicenses attinet, vsus iuris Sax. in illis clarissime demonstratur ex vsu Geradae, vel *Frawen-Radae*, de qua Io. Andr. Schmid. in Helmst. saeculis XIV. & XV. per Frauenradam adflicto. Helmst. 4. In Holsatia & vrbe Luneburgensi eius adhuc hodie vsum aliquem esse, obseruauit Hert. de Consultat. Leg. & Iudic. §. XV. p. 430.

§. LXXIX.

Speculi Sueuici aetas.

Eodem exemplo & SPECVLVM SVEVICVM conditum est, & quidem medio circiter saeculo XIII. Nam in eo mentio fit non modo Innocentii Papae III & Ottonis IV Imp. quorum ille anno *M CCXVI*, hic non multo post decessit, Spec. Sueu. I, 348. & ita quidem, vt eorum certamen se tanquam rem antiquam legisse auctor profiteatur, sed & Decretalium, quas anno demum *MCCXXXV*. prodiisse diximus, (*§. LXVIII.*) Spec. Sueu. I, 5. quin & Fridrici II. qui *MCCL* obiit. Spec. Sueu. II. epilog. Non multo post tamen illud conditum esse manifestum est ex editione Io. Fridr. Schannati, §. *CXLIV*. p. 253. vbi verba: *Verräter haissen wir, dy mit red ain verpalmundent, also das sy in sagent von seiner Christenhait, als dy My-*

Myner Prüder Kaiser Fridrich teten, & paullo post: *Das teten all dy Myner Prüder dem Kaiser Fridrichen*, vbi de historia illa, tanquam recenti, loquitur. Accedit, quod Speculum hoc Archipincernatum tribuit Ducibus Bauariae, qui ab anno *MCCXXXI* cum Boemiae Rege de eo officio imperii altercati sunt, donec secundum hunc litem dedit Rudolphus I. Imp. anno *MCCXC*. Toeln. Cod. Dipl. Palat. n. CIX. p. 76. Vnde denuo consequitur, vt Speculum istud inter annum *MCCL*. quo Fridricus II obiit, & annum hunc *MCCXC*. in lucem prodierit, * adeoque Saxonico multo sit recentius, quod tamen negasse nouimus viros doctos, Lambec. Biblioth. Vindeb. II, 8. p. 825. & Schilt. in praefat. Iur. Feud. Alam. §. XVII.

* Quare nec adsentiri possumus V. C. Io. Sam. Brunnquell qui in Hist. Iur. I, 6, 23. hoc Speculum Sueuicum saeculo XIIII. conditum esse, censet, sequutus vt opinor Conringium, qui de Orig. Iur. Germ. Cap. XXX. p. 136. id paullo ante Ludiui Bauari Imp. tempora confectum scripsit.

§. LXXX.

Variae editiones. Plura vero eius exstant exemplaria, inter se

ſe haut parum diſcrepantia. Nam praeter illud quod ſequutus eſt Seb. Meiſchnerus im *Kayſerl. und Koenigl. Land-und Lehn-Recht*, quodque deinde ſimiliter expreſſerunt Melch. Goldaſtus Tomo I. *der Reichs-Satzungen* p. 31. & Io. Steph. Burgemeiſter *im Teutſchen Corpore Iur. Dipl.* editionem nouam & a reliquis & ordine & verbis paſſim diſcrepantem edidit Io. Fridr. Schannat *in der Sammlung alter Hiſtoriſcher Schrifften* Part. I. p. 163. ſeq. & nouiſſime ex MSCo Argentoratenſi Io. Aug. N. D. de Berger Lipſ. *MDCC XXVI.* 4to.

§. LXXXI.

Eſt & hic iuris Germanici theſaurus egregius, ac proinde iuri Saxonico in multis conuenit. Multa tamen auctor admiſit ex iure Romano, veluti Lib. I, cap. 6. 41. 64. 67. 315. & 327. & vbi philoſophatur, aut de iure publico diſſerit, non minus deſipit, quam Speculator Saxo. An vſum vnquam hoc ius in foro habuerit, fuere, qui dubitarent. Sed ſunt ſane diplomata, quae manifeſto prouocant ad deciſionem iuris Sueuici, quae iam produxit Datt. de pace publica IV, 1, 21.

De eo iudicium.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Ius Feudale Sueuicum Alamannicum.

Accessit & huic speculo, seu iuri prouinciali, IVS FEVDALE, quod paullo post ius prouinciale, & fortassis ab eodem auctore, conditum est, siquidem aliquoties lector ad ius prouinciale, tanquam ad partem priorem, remittitur. Ius Feud. Alam. I, 120. 168. Quare male de libri huius vetustate iudicarunt Lambecius, Schilterus & alii, qui illum diu ante Speculum Saxonicum natum existimant. Thomas. Select. Feud. §. *LXIII.* Editionem accuratissimam huius libri, ad codicem Ambrosianum bibliothecae Vindebonensis expressam, & luculento commentario illustratam dedit Schilterus Arg. *MDC XCVII*, 4. & nouissime Io. Aug. N. D. de Berger Lips. *MDCC XXVI*, 4.

§. LXXXIII.

Iura prouincialia varia.

Nec tantum communia illa Germaniae iura colligi sedulo coeperunt, sed & prouinciae singulae suas leges & consuetudines in scripturam iisdem fere temporibus redegerunt. Tale sane est IVS PROVINCIALE AVSTRIACVM, anno *M CXC.* conditum, quod ex Codice MSC. edidit illustris Cancell. noster a Ludewig

Reli-

Reliquiar. Tom. IV. p. 1190. ſequ. Tale IVS PROVINCIALE BAVARICVM, quod anno *MCCCXLVI.* condiderunt fratres Ludouicus, Marchio Brandenburgicus, & Stephanus, Ludouicus & Guilielmus Comites Palatini Rheni & Duces Bauariae, qui tamen profitentur, *daß ſie zu Rat worden mit ihrem Herrn und Vaeterlein, Kayſer Ludwichen von Rom.* Codicem MSC. elegantem membranaceum, ſimilemque per omnia illi, quem deſcripſit Lambec. Bibl. Vind. II, 8. p. 834. in Bibliotheca Hoffmanniana Francofurti vidi. Tales denique ſunt leges, quas Tirolienſibus anno *MCCCXCVII.* dedit Leopoldus Dux Auſtriae, teſte Hundio in Metrop. Salisb. Tom. I. p. 450.

§. LXXXIV.

Leges gentium exterarum, Germanicis ſimiles.

Quin & exterae, gentes, quae leges & conſuetudines Germanicas ob communem originem ſeruabant, iis temporibus illas in ſcripturam redigebant, ne a iure Romano & canonico agerentur in exſilium. Nam & Codex LEGVM DANICARVM auſpiciis Woldemari II. Regis anno *MCCLXXXI.* confectus eſt, de quo aliisque Danorum Legibus conſu-

lendus Ill. a Ludew. in praefat. Tomi IX. Reliqu. p. 5. sequ. Et NORMANNI LEGES suas, quas secum ex Septentrione attulerant, Germanicis plane geminas, litterarum monimentis consignarunt anno circiter *MCCL.* ceu docet Codex MSC. Bibliothecae Ludewigianae, ex qua illas cum notis suis edidit Illustris possessor Tom. VII. Reliqu. p. 149. sequ. *

* Sed & Suedicae leges eiusdem fere aetatis sunt. Vplandicas enim a S. Erico primum vel scriptas, vel collectas publicauit suisque auxit Birgerus Magni, Rex, qui circa annum *MCCXCV.* vixit: quemadmodum paullo ante anno *MCCLI.* Birgerus Iarl. ius municipale Sueciae ciuitatum in ordinem redegit. Qua de re ex instituto agit Io. Loccen. Antiqu. Sueo Goth. II, 2. p. 35. Brabantinorum quoque Ducum constitutiones circa annum *MCCC XII.* compilatas publicatasque esse, iam docuit Herm. Conring. de Orig. Iur. Germ. Cap. XXVIII. p. 167. Leges Boemicas, a Carolo IV. latas digestasque in ordinem, sub titulo Maiestatis Carolinae edidit Paullus Geschinius Francof. 1617. fol.

§. LXXXV.

Ciuitates patrii

Sed ciuitates praecipue, in quibus Scabini, non nisi iuris patrii periti, maxima aucto-

auctoritate pollebant, manibus pedibusque enixe omnia agebant, ne iura peregrina intra moenia sua reciperentur. Hinc multa vel condita, vel in scripturam primum redacta sunt STATVTA vrbium praecipuarum, non modo liberarum, sed & municipalium. Vbi id maxime notatu dignum, eas ciuitates, vnde alia oppida ius suum municipale petierant, ab his veluti metropoleon loco habitas, & a sententiis domi latis prouocatum esse ad illas vrbes, quarum iura adoptauerant, qui mos hodienum quibusdam locis obtinet.* *iuris seruantissimae.*

* Auctor est Ioannes Sibrandus in Iur. publ. vrb, Lub. Part. I. Sect. 10 n. 7. Rostochienses, quia iure Lubecensi vtebantur, adpellationes a tribunali Rostochiensi detulisse ad Lubecense. Idem n. 15. p. 102. adducit priuilegium Stralsundensibus concessum anno *MCCCXIV.* quo permittitur ciuibus, *daß sie mögen und sollen ihre beschuldene Vrtheil führen und holen zu Lübeck*, De adpellationibus Neomagensium ad Scabinatum Aquisgranensium deuolutis, similique more apud Belgas passim obuio quaedam haut vulgaria disserit Io. Isaac. Pontan. Hist. Gelr. Lib. I. p. 59. quibus ex Conringio Cap. XXVIII. p. 169. addimus, alias quoque vrbes Rhenanas

partim Aquisgranum, partim Coloniam prouocare ſolere in cauſſis dubiis. Helmſtadienſes *a tribunali* magiſtratus ſui *ad conſiſtorium Magdeburgenſe ſolitos adpellare*, refert Magnus Dux Brunſu. & Ioannes Abbas Werthinenſis in diplomatibus anni *M CCC LVIII.* apud Schmid. de Helmſtadio per Frawenradam adflicto p. 6. 8. Vnde non mirum, Polonos quoque & Boemos Halam vel Magdeburgum, a quibus ius acceperant prouocaſſe. Weichb. Art. X. §. 1. quem morem tamen in Polonia anno *M CCC LVI.* ſuſtuliſſe Caſimirum II. Regem, memoriae prodidit Mechou. Chron. Polon. IV, 19.

§. LXXXVI.

Statuta Suſatenſia.

De huiusmodi ſtatutis iam ſatis prolixe a Cl. Struuio Hiſt. Iur. VI, 27. aliisque actum. Nos de praecipuis, & quibus apud alias quoque ciuitates honor fuit, agemus. Et hic neſcio an non primum ſibi locum merito vindicet IVS SVSATENSE. Celeberrimum illud municipium iam olim εὐνομίᾳ tantam ſibi famam pepererat, vt multae aliae ciuitates inde leges ſuas peterent, easque veluti beneficium acciperent ab Imperatoribus. Arnold. Lub. II, 35. Lambec. Orig. Hamb. I, n. 98. Henr. Meib. Introd. ad Hiſt.

Hist. Sax. infer. p. 81. At illud antiquum Susati paullatim obsoleuisse videtur. Nam nouum Ius Susatense, (*die Soestische Schraden*) in plerisque a iuris Lubecensis principiis discedit. *

* Ipse possideo apographum iuris municipalis Susatensis, cuius prima pars, continens *das alde gekorne und gepruvede Recht* incipit: *In dem Boke von oberſten Gude schrivet Meſter Boetius, dat man in allen Beginnen ſall anropen den allmachtigen Vader und Schöpper aller Dinge &c.* Constat illud Articulis CLXXVI. & quamuis sub finem legamus: *Actum & concordatum anno Dni mileſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, feria ſexta poſt beati Cuniberti Epiſcopi:* articulo tamen CLI. adscriptum: *anno Domini MCCCL.* articulo CLVI. *anno Dni MCCCIX. craſtino Alexii Confeſſoris:* articulo CLVII. *anno Dni MCCC LXX. in die beati Bonifacii:* articulo CLXXIII. sub *anno Domini MCCC LXVIII. in die Dominica, qua cantatur Laetare:* vt adeo librum hunc subinde auctum esse, satis adpareat. Conf. Henr. Melch. Schutte *Differt de iure Suſat. eiusque & iur. ciu. collatione in ſucceſſ. ab inteſtato.* Altera pars eumdem titulum habens *dat alde und geprovede Recht der Stadt von Soeſt.* constat articulis CXXX,

eiusque initium est: *Tho den ersten so seyn drey Gerichte binnen der Stadt, dat ein vnses Herrn van Cölln, dat ander des Provestes van Soest, und dat derde des Rats.* Tertia pars inscribitur: *Des gemeinen Gerichts Process*; titulisque constat XIX. quorum initium est: *Socrates der Heydnische Philosophus spricht: Das recht ist einer Spinnen weben gleich* &c. Sub finem subiiciuntur quaedam sub rubrica: *Dit sind nachfolgende Urtheil, ins freyen Stohls Gerichte gehœrig belangende.*

§. LXXXVII.

Ius Lubecense.

Ex iure hoc Susatensi natum est LVBECENSE * & *Hamburgense.* Et Lubecenses quidem ius suum ab Henrico Leone accepisse videntur, confirmatum postea a Fridrico I. Imp. Anno *MCLXXXIII.* Arn. Lubec. II, 35. Quod enim alii pro *iure Susatiae* apud Arnoldum rescribi iubent *iura Holsatiae*, alii per illud intelligunt *legitimam consuetudinem potestatemque vtendi pascuis, lignisque in comitatu Nordalbingiae*, id tam solide profligatum est ab Henr. Meibomio Intr. ad Hist. Sax. Inf. p. 81. & Mollero Isagog. ad Hist. Chers. Cimbr. IV, 6. vt actum agere nolimus. Caue vero, id quod ho-

hodie obtinet, ius Lubecenſe vetus & ſincerum exiſtimes. ** Vidi ego in bibliotheca Hoffmanniana Codicem MSC. membranaceum antiquum, lingua vetere Saxonica ſcriptum, in quo iſtud ius & ab hodierno diuerſiſſimum, & multo breuius illo ſiſtitur. Conſtabat enim articulis *CCLXXI.* alio plane ordine diſpoſitis, quam qualem hodie in iure Lubecenſi obſeruamus. Fuſius de hoc quantiuis pretii codice, aliisque qui paſſim memorantur Codicibus MSCis ſingulari programmate egit amiciſſimus Hoffmannus. Francof. MDCCXXXI.

* Equidem ex iure Sueogothico, tamquam fonte, promanaſſe ius Lubecenſe, erudita diſſertatione nuper oſtendere voluit V. C. Chriſt. Nettelblatt in *Diſſ. de fontib. iur. Lub.* Sed quum pleraque communia habeant Gothicae illae & Germanicae leges, dicere malim, vtramque gentem talia a maioribus accepiſſe, vt non opus ſit fingere, Lubecenſes ius ſuum ex Septentrione petiiſſe, de quo plane ſilent annales. Nec magis verum eſt, eſſe hoc ius Slauicum vel Venedicum, quum Suſato cum Venedis nihil vnquam commune fuerit.

** Collectio, qua hodie vtimur facta eſt auſpiciis Senatus, a Io. Ludinghauſen Coſ.

 Calix-

Calixto Schein, Syndico, Gottſchalco de Sliten Senatore, excuſaque Lubecae a Io. Balhorn. anno *MDLXXXVI.* Eodem quidem anno Ioach. Kolius, Conſul Crempenſis ex Codice MSC. ius Lubecenſe Hamburgi publicauit: ſed & haec, & ſi quae exſtant, aliae antiquiores editiones, in foro nullius amplius vſus ſunt. Conf. Ern. Ioach. Weſtphali *diſſ. de origine & fontib. iur. Lub. eiusque vſu, auctoritate, elogio & ſubſidiis.*

§. LXXXVIII.

Statuta Hamburgenſia.

Eumdem fuiſſe iuris HAMBVRGENSIS fontem, diplomata euincunt apud Lambecium, in quibus ipſis ſaeculo XIII conceditur *antiqua iuſtitia Lubecenſium*, vel *vt fruantur iure Suſatenſium & Lubecenſium*, quae iam alii attulerunt. Hinc ſimillimae olim fuere Hamburgenſium & Lubecenſium leges, vt Thraciger, Hamburgenſium Syndicus ſcribere non vereatur ad ann. *MCCXCII.* bis auf dieſe Zeit hat die Stadt Hamburg gebraucht Lübiſch Recht, als hiebevor iſt angezeigt. Quum vero hoc ipſo anno Adolphus, Gerardus, Io. Henricus & Henricus, Holſatiae Comites vrbi *concederent & donarent ius tale, quod vulgo Köbre dicitur, ſtatuta* man-

mandare, & edicta promulgare, secundum placitum eorum, pro vtilitate & necessitate ciuitatis, & reuocare eadem, quotiescumque & quandocumque ipsis visum fuerit expedire. Lambec. Orig. Hamb. II, n. 471. vsi sunt eo iure Hamburgenses, &, vt denuo verbis Thracigeri vtamur, *nachdem sie angeregtes priuilegium erlanget, haben sie ihr eigen Recht gefaßt, welches mehrentheils aus gemeinen Sächsischen Rechten gezogen, und in folgenden Zeiten etliche mal vermehret und verbessert ist.* *

* Hodierna Statuta Hamburgensia nouissime reuisa sunt publicataque anno MDCIII. quamuis postea & nouae leges, veluti *die Gerichts-Ordnung* & varii Recessus accesserint. At exstat in bibliotheca Ludewigiana Codex MSC. lingua Saxonica scriptus, & glossis illustratus, *insigne iuris antiqui Germanici, a iure Romano adhuc minus infecti, monimentum*, iudice illustri Boehmero, qui & specimina quaedam dedit in Dissert de Aeris alieni inter coniuges Hamburgenses communione, edita Hal. *MDCCXXVIII.* 4.

§. LXXXIX.

At latius patuit iuris Lubecensis, quam Hamburgensis, vsus. Illud enim in Pomerania *Iuris Lubecensis v*

ſus quam late patuerit. Vnde ius Culmenſe?

rania, Ducatu Meclenburgico, Saxonia inferiore, Holſatia & Slesuicenſi Ducatu, nec non Pruſſia & Liuonia a multis ciuitatibus oppidisque receptum eſt, quorum recenſum prolixum inſtituunt Io. Sibrandus ad Ius Lub. Part. I. Sect. V & X. Meu. ad Ius Lub. Prol. quaeſt. II. n. 23. Moller. Iſagog. I, 2. Werlhoff. Specim. Iur. Germ. Diſſ. III. p. 202. Quin ex eodem & Weichbildo Magdeburgico conflatum ineunte ſaeculo XIV videtur IVS CVLMENSE, quamuis poſterioris, puta iuris Weichbildici principia magis redoleat. Vid. Hartknoch. Diſſ. XVII. de iure Pruſſ. §. XIV. ſequ. & *in Alt- und Neu-Preuſſen.* Part. II. cap. VII.

§. XC.

Statuta Aquisgranenſia & Colonenſia.

Antiquum porro eſt ius municipale COLONIENSE & AQVISGRANENSE, quod iam Ius Weichb. art. I. laudat. Colonienſium iura ac conſuetudines iam anno *MCCXXIX* confirmauit Henricus Archiepiſcopus, & anno *MCCXLII* Fridricus II. Imp. apud Lunig. *im Reichs-Archiv.* Part. Spec. IV. Cont. p. 341. Prodiere anno *MDLXII* ſub titulo: *Abdruck und gemeiner Begriff der Policey-Ordnungen,*

gen, *Plebiſciten und Statuten der alten löblichen freyen Reichs-Stadt Coelln.* in quibus tamen Sigismundi aliorumque diplomata, ſaeculo XV non antiquiora, ſtatim initio occurrunt. Aquisgranenſia ſtatuta an vnquam edita ſint ſcire me fateor cum ignariſſimis.

§. XCI.

Nec non aliarum vrbium paullo antiquiora.

Antiqua praeterea ſunt iura municipalia FRIBVRGENSIVM a Bertholdo IV. Zaringiae Duce anno *MCLXX* data, itemque ſtatuta GOSLARIENSIVM, condita anno *MCCCXXX*, teſte fratre deſideratiſſimo in Antiqu. Goslar. IV. p. 362. & edita a Leibnit. Script. Rer. Brunſu. Tom. III. p. 484. ſequ. BREMENSIVM anno *MCCCIII* ab Oldenburgenſibus petita. Gryphiand. Weichb. Saxon. cap. LXXVII. BRVNSVICENSIVM apud Leibnit. Tom. III. p. 434. anno *MCC XXXII* ab Ottone I. Duce praeſcripta, & alia, quorum recenſum non admittit hoc compendium.

§. XCII.

Ius Wisbyenſe.

Id modo addo, hac tempeſtate in rebus nauticis inualuiſſe in vrbibus Hanſeaticis vſum IVRIS WISBYENSIS,

quod

quod ipſum quoque originis Gemanicae eſt, teſte praefatione apud Leibn. Tom.III. p. 750. vbi haec occurrunt: *So ſande man an Hertoghen Hinrike, enen Hertoghen over Beyern vnde Saſſen, de beſtedigede vns den Vrede vnde dit Recht, als et vore ſin auder Vader Keyſer Lothar ghegheven hadde.* Saepius hoc ius Wisbyenſe prodiit: quod & apud exteros non leuis vſus eſt. At poſtea ipſae ciuitates Hanſeaticae condiderunt *der erbarn Hanſee Städte Schiffs-Ordnung vnd See-Recht*, quae conſtitutio vltimum recognita in conuentu ciuitatum Hanſeaticarum publicata eſt die XXII. Maii MDCXIV.

§. XCIII.

An ideo ius Rom. & canonicum minora incrementa ceperit?

Tot igitur iuribus prouincialibus ac ſtatutis in ſcripturam redactis, id quidem conſequuti ſunt Germani, & iura patria non plane in exſilium agerentur: nec tamen ideo ius Romanum & canonicum nulla in Germania cepit incrementa. Quin magis magisque quotidie inualuit, & ab eo maxime tempore, quo academiae ſupremaque imperii iudicia inſtitui coeperunt, tantum auctoritatis conſequutum eſt, vt paullatim pro iure communi habitum

bitum, & iudiciis, tamquam norma decidendi commendatum ſit. Quod quomodo contigerit, poſtremo huius libri capite, diſtinctius oſtendemus.

CAP. IV.

DE STATV IVRIS GERMANICI A CONDITIS ACADEMIIS AD NOSTRA TEMPORA.

§. XCIV.

Conſtitutis Academiis, Profeſſores vtriusque iuris publice docere coeperunt.

SImul ac in Germania inſtitui Academiae coeperunt, praeter Theologos, Medicos & Philoſophos, etiam iuris vtriusque, CIVILIS & CANONICI Profeſſores publica auctoritate ſunt conſtituti. Quod eo minus mirum cuiquam videbitur, quo certius conſtat, Germanos in condendis Academiis Italorum & Gallorum inſtituta eſſe imitatos. *

* Ad Pariſienſis exemplum Carolum IV. inſtituiſſe Pragenſem, obſeruat Dubrau. Hiſt. Boem. Lib. XXII. p. 179. edit. Freh. Et Rupertus Senior, Comes Palat. Rheni, anno *M CCC LXXXVI.* profitetur, Academiam Heidelbergenſem *ad inſtar ſtudii Pariſienſis a ſe fundatam*, eamque *regendam, diſponendam, & regulandam modis & materiebus*

bus in vniuerſitate Pariſienſi ſolitis obſeruari, vt Pariſienſis ſtudii, vt pediſſequa, vtinam digna! modis conuenientibus greſſus imitetur. Toeln. Cod. Dipl. Palat. n. CLXXIX. p. 123. Sed & Ludouicum Ducem Bauariae, anno *MCCCCLXXVII* in conſtituenda Academia Ingolſtadienſi Bononienſis & Viennenſis vniuerſitatis exemplum ſe prae oculis habuiſſe, ait apud Hund. Metrop. Salisb. Tom. II. p. 291.

§. XCV.

Et quidem iam ſaeculo XIV. Academias vero Germania noſtra non demum ſaeculo quinto decimo habere coepit, ceu exiſtimauit Conring. de Orig. Iur. Germ. cap. XXIV. p. 147. ſed integro ſaeculo prius. In omnibus vero, quarum hiſtoria comperta eſt, ſtatim inſtituta eſt Facultas iuridica. Anno enim *MCCCLXV* VIENNENSI vniuerſitati Vibanus Papa id priuilegium concedit, *vt ſit ſtudium generale, illudque perpetuis temporibus ibi vigeat, tam in iuris CANONICI & CIVILIS, quam in alia qualibet licita, praeterquam theologica, facultate.* Lambec. Bibl. Vind. II, 5. p. 85. Idem circa annum *MCCCLXXXVIII.* ERPHORDIENSI academiae indultum, teſte Conring. de Orig. Iur. Germ. cap.

XXXI.

XXXI. p. 91. nec non anno *MCCCLXXXVI.* HEIDELBERGENSI, * teste diplomate Ruperti Senioris Com. Palatini apud Toeln. Cod. Dipl. p. 123. ac denique INGOLSTADIENSI anno *MCCCC LXXVII.* apud Hund. in Metrop. Sal. Tom. II. p. 291.

* Attamen initio tantum tres Doctores iuris canonici Heidelbergae docuisse, legimus in Chronico Magno Belg p. 343. cui suffragatus Schilterus de inuest. simult. Cap. III. §. 2. per totum saeculum XIV. nullum ibi Professorem iuris ciuilis fuisse, tradit. Id quod verum esse, deprehendi ex diplomate eiusdem Ruperti Senioris n. CLXXXVI. p. 128. in quo anno *M CCC XCIII.* recensentur: *Meistere und Doctorn und gute graduirte der Heil Geschrifft und in Geistlichen Rechten, und in der Artzney, die zu zyten in denselben zweyn Künsten gekorn und gesezt sint zu lesen, vnd auch lesent in der obgem Vniuersität,* Iuris Ciuilis Professorum nulla facta mentione. At in Viennensi Academia iam anno *M CCCLXXXIX.* vtriusque iuris Professores fuerunt. Eo enim anno condita facultatis iuris canonici & ciuilis statuta, quae exhibet Lambec. Bibl. Vind. p. 164.

§. XCVI.

§. XCVI.

Hinc magnus Doctorum numerus in aula Imperatorum.

Itaque fieri non potuit, quin saeculo sequente iam vbique magnus esset Doctorum vtriusque iuris prouentus, qui in Principum palatiis, curiisque & iudiciis illustrioribus vbique regnabant, caussasque ad iurium illorum peregrinorum principia decidebant, & omnem denique mouebant lapidem, vt ius patrium magis magisque supprimeretur. Sic in aula Caroli IV. *Bartolus de Saxoferrato*; Dubrau Hist. Boem. XXII, p. 181. *Struu. Hist.* Iur. XII. 38. p. 535. in aula Sigismundi Imperatoris *Georg. Fiscellus*, I. V. D. summa auctoritate pollebat. Sub eodem & duobus insequentibus Imperatoribus, Alberto & Friderico, cancellarii munere functus est *Casp. Sblik.* Aen. Sylu. Hist. Boem. Cap. III. Quin hic postremus in consilium suum fere solos Iurisperitos adoptauerat, ac proinde in diplomate quo anno *MCCCLXXV.* quendam Adolphum Gegener Doctorem iuris renunciauit, id se facere professus est, *de adsensu & consilio DOCTORVM & SAPIENTVM curiae suae.* Itter. de Grad. Acad. Cap. VI, §. 20. p. 162. Quamuis fatendum sit

Fri-

Fridricum III. Imp. *mediocriter dilexisse iurisperitos, quod iuris aequitatem diceret ab iis inuerti, iustitiamque foedari.* Cuspinian. p. 411.

§. XCVII.

Imperatores imitati Principes & ordines imperii, & ipsi ICtos maximi faciebant, eorumque consilio & opera tum in administranda rep. tum in iure dicundo, vtebantur. Sic in aula Saxonica magni fiebant consilia *Iac. Radewizii*, Ienensis, Thuringi, I. V. D. & ordinis iuridici in academia Lipsiensi praesidis, vsque adeo vt ei potissimum impetratam a Sigismundo Imp. Saxoniam dignitatemque Electoralem acceptam ferret Fridericus, Marchio Misniae. Centur. Script. qui in Lips. Witteb. & Francof. acad. flor. num. XVII. In Pomeraniam *Petrum Rauennatem*, eiusque filium, *Valentinum*, deduxerat Bogislaus X. Dux Pomeraniae Conring. de orig. iur. cap. XXXII. Comitiis Noribergensibus anno *MCCCCLXVI.* interfuere loco Treuerensis Ioannes Gemminger, Decret. D. loco Saxonis Io. de Weisbach D. Legati etiam Salzburgensis, Eistadiensis, Ratisbonensis, Bauari, Marchionis Bran-

Itemque in palatiis principum & vrbibus.

Ff denb.

denb. Landgrauii Haſſiae, Lubecenſium, Doctores fuere, apud Goldaſt. Conſt. Imp. T. I. p. 217. ſequ. Quin & in ciuitatibus quibusdam praecipuis, Iurium Doctores tum Syndicorum & conſiliariorum officio functos eſſe, reperio. *

* Noribergenſi enim Senatui ſaeculo XV. a conſiliis fuit Gregorius Heimburg, ſub initium Concilii Baſileenſis Doctor iuris creatus, & fatis ſuis notiſſimus. Freher. in Theatr. Vir. Doct. p. 795. Eodem ſaeculo, immo & multo ante, etiam Francofurti ad Moenum fuere Syndici iuris periti, qui eo ſaeculo *Pfaffen* vocabantur, quemadmodum hodienum in Gallia, Anglia & Belgio *Clerici*, Clercken van Rechte, audiunt, qui ſcripturas faciunt. Feltm. de tit. hon. II, 20, 9. Itterus enim de Gradib. Acad. IX, 5. p. 349. producit exemplum litterarum anno *MCCCLXXVII.* datarum, quibus Hermannus von Orbe, Licentiatus Decret. profitetur, quod a Senatu Francofurtano conductus ſit Syndicus, (*daß er Paff und Diener worden ſey der Erſamen wißen Lude, des Rades vnd der Stadt zu Francenford.*) vbi Itterus recte obſeruat, *Paffen* ibi eſſe Syndicos, qui tum & *Aduocati*, itemque ob honores academicos, quibus inſigniti fuerint, *Meiſtere* fuerint adpellati,

§. XCVIII.

§. XCVIII.

Nec parum etiam iuris Romani & Canonici auctoritatem eo saeculo prouehebant Imperatores & Ordines, dum ipsi leges, quas dabant, ad vtriusque iuris placita attemperabant, quin & iura illa in iudiciis ac foris seruari lege publica iubebant. Talia plura occurrunt in Reformatione politica Sigismundi Imp. apud Goldast. Const. T. I. p. 188. Nam cap. IX. legimus: *Es ist zu wissen, daß hohe Fürsten, die grosse Land haben, noch fast Keyserliche Recht zu ihrem Theil halten.* Et cap. XIII. §. 5. *Man sol an allen Haubtgerichten, do man über das Blut richten mag, haben ein Keyserlich Rechtbuch, daß man richte nach Recht, und niemand unrecht beschehe.* Item §. 8. *Wer aber Sach, daß in den Rechten ietwederm Theil zu kurz beschech, deß ihn deucht, so mag man die Sach ziehen für einen geistlichen Meister,* (Doctorem Decretorum) *vnd einem weltlichen Meister,* (Iur. Ciu. Doctorem,) *die dazu benant werden, die Vrtheil zu sprechen.* Ita & in Auisamentis Constantiensibus de ann. *MCCCCXVI.* apud eumdem T. I. p. 151. cap. I. & in Moguntinis de an-

Recessus Imp. ad Leges Rom. attemperati, idque ius commendatum saeculo XV.

no *MCCCCXXVI.* apud eumdem p. 160. sequ. cap.V. aliquoties mentio fit *Corporis iuris* & *extrauagantium* cap.IX. *Doctorum & Licentiatorum Iuris can. & ciuilis* & *Baccalaureorum iuris vtriusque*, ad canonicatus admittendorum. Qualia a Fridrico III. etiam profecta videmus apud Muller. Reichs-Tags-Theatr. P.IV. cap. 41. & P.IV. cap. XV. quae de iuris vtriusque auctoritate satis testantur.

§. XCIX.

Hinc Ordines Imperii de eo abolendo cogitarunt.

Animaduerterunt demum hoc saeculo principes, quanta strages immineat iuri patrio, ac proinde sub eodem Fridrico III. anno *MCCCCXLI.* id egerunt, vt lex publica de doctoribus iuris plane abolendis in Germania promulgaretur. Et exstat sane apud Goldast. Part. I. der Reichs-Satz. p. 166. eiusmodi Reformatio, in comitiis Moguntinis proposita, vbi Art. V. legimus: *Alle Doctores der Rechten, sie seind geistlich oder weltlich, im H. Römischen Reich Teutscher Nation, sollen nach laut der fürgenommenen Reformation an keinem Gericht, bey keinen Rechten, auch in keines Fürsten oder andern Räthen mehr gelitten, sondern ganz abgethan werden:*

Sie

Sie ſollen auch fürbas hin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden, ſchreiben oder Rath geben. * Et id momordiſſe arbitror Petrum de Andlo, eius aetatis ICtum, dum Lib. I. de Imp. Rom. Germ. cap. X. ſcripſit: *Leges Romanas noſtra Alamannia proh dolor! in ſua deſpicit inſipientia.* Sed euentu caruit illud conſilium, nec reliquis Ordinibus arriſiſſe videtur ſcriptum, quod Fridricus III. vel pauci quidam alii conceperant. Saltim neque perlata eſt illa lex duriſſima, neque vnquam exſequutioni mandata. Manſit iuri peregrino ſuus honor, & magis magisque creuit ICtorum in Germania auctoritas.

* Duriora ſunt, quae in Declaratione ſequuntur. Quemadmodum enim ibi locus relinquitur ICtis ternis in ſingulis academiis, ita tamen, vt non niſi iura in imperio probata interpretentur, & conſulti, ex iis reſpondeant: ita foro plane exeſſe iubentur, addita ratione: *Wann ihnen das Recht harter, dann den Leyen, verſchloſſen iſt, vnd kan ihrer keiner keinen Schlüſſel dazu finden, biß beyde Theil arm werden, oder gar verdorben ſind Aber der Ley behelt doch den Schlüſſel zum Rechten bey ihme, das man zu zimlicher Zeit das Recht herfür bringen mag. Aus dieſen Vrſachen kan*

man die Gelehrten in keinem Richten mehr leiden. Darzu seynd es nur besolde Knechte, vnd nicht Erbdiener des Rechtens. Paullo post audiunt *Stieff väter, vnd nicht die rechten Erben des Rechten.* Sed meretur illa Reformatio, in qua auctor in ICtos grauissime inuehitur, tota perlegi. Reperiet quisque, eam plane conuenire genio Fridrici III. Imp. quem parum dilexisse ICtos, iam supra vidimus. (§. XCVII.)

§. C.

Saeculo XV. ius Romanum in foro pro norma haberi iussum.

Sub finem enim saeculi XV. & proxime insequente ipsis imperii legibus frequenter ius Romanum pro norma esse iubetur, ita tamen, vt & iuris Germanici consuetudinumque patriarum praecipue habeatur ratio. Quin ipsas constitutiones Recessusque imperii, qui tum prodierunt, fere in plerisque ad iuris Romani normam accommodari animaduertimus. Id quod exemplis latarum a Maximiliano I. Imp. legum paucis demonstrabimus.

§. CI.

Quod patet ex legibus imperii sub Maximiliano I. latis.

Quum post longa molimina anno *MCCCCXCV.* Wormatiae de instituendo iudicio Camerali conuenisset: (Vid. Datt. de Pace publ. IV, 1, 66. sequ.) condita est prima ordinatio iudicii Cameralis, in qua

§. VI.

§. VI. mentio fit iurisiurandi *de calumnia & malitia vitanda*, *prout de iure*, ab aduocatis praestandi: & in §. XX. iudex & adsessores circa adpellationes ab interlocutoriis decernere iubentur secundum ius ciuile, (*wie das in Keyserlichen Rechten geordnet und begriffen ist.*) Eodem anno Imperator edidit constitutionem contra blasphemos, in qua breuiter recenset sanctionem Nouellae LXXVII. Iustiniani, quem vocat *seinen Vorfahren am Reich löblicher Gedächtniß.* Quumque anno *MD* Augustae Ordinationem Camerae emendare placuisset: §. VIII. receptum est ius Romanum, quod nepotes in stirpes iure repraesentationis cum parentum suorum fratribus & sororibus ad aui auiaeque hereditatem admitti iubet, *nach laut gemeiner geschriebener Keyserlicher Recht*, *der Gewonheit*, *so an etlichen Orten darwieder seyn möcht*, *vnangesehen*. &c.

§. CII.

Anno *MDVII* Ratisbonae prodiit noua Cameralis iudicii forma, cuius nullus est titulus, nullus paragraphus, in quo non ius ciuile & canonicum, eorumque glossae, itemque Cynus, Panormitanus, Bartolus, Bal-

In primis ex Ordin. iud. cam. MDVII. & Constitutione de Notariis.

Baldus, Speculator, Rofredus, similesque heroes, vtramque paginam faciant. Sequuta est anno MDXII Constitutio de Notariis, in cuius §. I. statim hi suo munere fungi iubentur: *nach Inhalt gemeiner Rechten oder löblicher Gewonheit vnd Gebrauch ieden Orts:* deinde §. III. forma instrumentorum praescribitur, *wie dieselbe von gemeinen Rechten*, (Nou. XLVII. LXXIII & LXXIV.) *Brauch, Vbung vnd Gewonheit eingeführet ist.* Titulus porro de Testamentis totus ex iure Romano desumtus est, addita §. XII clausula: *Es sollen auch alle Notarien des Wissens haben, welche obgemeldte form der Testamenten, als aus Keyserlichen Gesetzen gegeben, mit Fleiß zu halten säumig wären, daß die zudem, daß die Testamenta, so anders gemacht würden, von Keyserlichen Rechten nicht beständig seyn, die Peen des Rechten darum zu leyden, sich nicht enthalten mögen.*

§. CIII.

Nec non ex Constitutionibus Caroli V. Imp.

Multo magis itaque Carolus V. iuris Romani vsum in Germania firmare studuit. Sane anno *MDXXI.* in recessu Wormatiensi §. XVII. sequ. cauetur, primo vt nepotes

potes neptesque in ſtirpes auo auiaeque ſuccedant, cum parentum ſuorum fratribus vt ſororibus: deinde, vt fratrum ſororumque liberi vna cum defuncti fratribus ſororibusque iure repraeſentationis admittantur: abolitis conſuetudinibus omnibus contrariis. Qua de re & ſingulare edictum paullo poſt per imperium promulgatum eſt. Denique vt de caſu, vtrum fratrum ſororumque liberi, ſi ſoli ſint, in capita, an in ſtirpes ſuccedant? a Regimento imperii deciſio promulgetur. Sic & anno *MDXXIX* in Edicto contra anabaptiſtas edito reiterationem baptiſmi morte luendam monet, *daß in Keyſerlichen Geſezzen die Vmbtauffung bey Strafe des Todes verbothen.* Vbi ſane prouocat ad *tit. C. ne ſacr. bapt. iteretur.* *

* Equidem Conr. Sincerus, id eſt, Culpiſ. in Diſſert. Epiſtolica §. LXXX. per verba *des Reichs gemeine Rechte* intelligenda putat iura Germanica, per *gemeine Rechte* vel *Kayſerliche Rechte*, ius ciuile Romanum. Sed expenderunt iam hanc ſententiam Stryk. Diſſ. prooem. vſ. hod. pand. §. XXV. Datt. de Pace publ. IV, I, 117. ſequ. Thomaſ. Cautel. circa praecogn. Iur. eccleſ. cap. XXII. §. 4. ſeqq.

§. CIV.

Praecipue Constitutione Criminali.

Paullo post anno *MDXXXII.* in comitiis Ratisbonensibus promulgata est CONSTITVTIO CRIMINALIS CAROLINA, in qua passim iudices ad ius Romanum remittuntur, *auf die Keyserliche beschriebene Rechte.* Art. CXVII. & CXXXV. *auf die Keyserlichen Rechte* Art. CXXI. Quin Art. CIV. CXVIII. & CXX. ius ciuile vocatur: *die Satzungen Vnserer Vorfahren, vnd Vnser Keyserlichen Rechten.* Quae eo magis notanda videntur, quo certius hodie constat, constitutionem illam criminalem tum non primum natam, sed ex antiquioribus ordinationibus & *proiectis*, vt vocant, compilatam esse. * Thomas. Diss. de occas. concept. & intent. Constit. Crimin. Ludouic. Praefat. Comm. in Const. Crim. & Kress. Praefat. §. XIII. seq.

* Existimabat illustris Thomasius, constitutionem criminalem descriptam fere esse ex Georgii Episcopi Bambergensis Constitutione criminali, quippe quae iam MDVIII. prodiit, sub titulo *Bambergische Hals-Gerichts- und rechtliche Ordnung in Peinlichen Sachen*, & saepius postea recusa, anno MDX. MDXXXI & MDXLIII. & nouissime a D. Ludouici, & criminali Caroli-

rolinae in plerisque similis. Sequutus virum illum celeberrimum est laudatus D. Ludouici, qui constitutionem Bambergensem nostrae veluti parentem facit, sororem vero Brandenburgensem, quam anno MDXVI. publicarunt Georgius & Casimirus, Marchiones Brandenburgenses, ipse vero D. Ludouici cum Bambergensi itidem recusam dedit. At praeclare demonstrauit, V. C. Io. Paullus Kressius praes. Comm. in Const. Crim. §. XV. sequ. primam constitutionem Criminalem confectam esse a Maximiliano I. Imp. & quidem iam anno MCCCCXCV. quamuis fortassis auctoritatem publicae legis non habuerit. Ex hac ergo pleraque decerpserunt primum anno MDVIII. Georgius Episc. Bambergensis, deinde anno MDX. Vdalricus Tenglerus, *Ducalis Altipolensis prouinciae praeses*, (*Landvoigt zu Hochstedt*) *im Layen - Spiegel*, de quo videndus coniunctissimus olim collega, Hoffmannus in Dissert. de insign. defect. Iurispr. Crimin. Germ. Cap. I. §. XVIII. p. 36, sequ. anno MDXVI. Georgius & Casimirus, Marchiones Brandenburgenses, ac denique anno MDXXXII. Carolus V. Imp.

§. CV.

Quamuis vero ex his satis adpareat, nihil reliqui factum esse sub Maximiliano I. *Non tamen pe-*

&

nitus repudiatum ius Germanicum.

& Carolo V, vt ius Romanum & Canonicum iuris communis nomine in imperio reciperetur: semper tamen simul cautum est, vt foris ideo non extorres fierent leges ac consuetudines patriae, quippe quae fere semper nominatim confirmantur in constitutionibus Imperii. Maximilianus I. in Ord. iud. Camer. anno MCCCCXCV. *Ein ieder soll seine Vnterthanen in ordentlichen Gerichten, Rechten vnd Obrigkeiten lassen vnd halten, nach eines ieden Fürstenthums, Herrschafft vnd Oberkeits Herkommen vnd Gebräuchen.* Et Carolus V. in Ord. MDXXI Adsessores iureiurando obstringi iubet, vt iudicent; *nach redlichen ehrbaren vnd Ländischen Ordnungen, Statuten vnd Gewohnheiten der Fürstenthümer, Herrschafften vnd Gericht, die vor sie bracht werden.* Id quod deinde saepe numero repetitum esse, iam ab aliis obseruatum est. Vid. Constit. Crim. Car. praefat. & Art. CXL.

§. CVI.

Potius protestationes interpositae,

Quin eo factum est, vt si quando iuris Romani vsus ordinibus obtuderetur paullo importunius, hi interpositis protestationibus, iura patria sibi reseruarent. Ita Ele-

Electorem Saxoniae protestatum noui-mus, leges de successionibus ab intestato iuri Saxonico fraudi non futuras. Speidel. in Speculo sub voce *Sachsen-Recht.* Thomas. Dissert. *de potestate legislat. Stat. Imp. contra ius comm. §. LI. sequ.* Quumque Nemesis Carolina multa ex iure communi sanxisset, similem protestationem interposuere multi Imperii Ordines, inprimis Elector & Duces Saxoniae, Elector Brandenburgicus, Elector Palatinus, & hi quidem omnes ex ea ratione, quod iuribus patriae ea constitutione derogatum vellent Imperator & ordines. Kress. Praefat. §. XXI. sequ.

quoties id actum.

§. CVII.

Eadem iuris facies fuit & sub Ferdinando I. omnibusque insequentibus Imperatoribus. Quum enim & Camerale iudicium, deficientibus legibus & constitutionibus patriis, iura communia sequeretur, idque ipsis in omnibus ordinationibus, & maxime postrema de anno MDCLIV. iniungeretur: Part. I. tit. XIII. §. 1. & P. III. tit. LIII. §. 9. & idem postea Iudicio Aulico ab Imperatoribus praescriberetur, * ipsi quoque Imperii Reces-

Status iuris Germanici & Romani sub insequentibus Imperatoribus.

cessus, quoties de iure priuato vel modo procedendi forensi aliquid sanciunt, fere semper iuri Romano vel Canonico suffragentur: facile est ad intelligendum, magis magisque inualuisse iuris communis auctoritatem, ita tamen, vt sua in primis iuribus ac consuetudinibus patriis constaret auctoritas.

* De ordinationibus variis huic iudicio praescriptis (*von Reichs-Hoff-Raths-Ordnungen*) ex instituto egit Er. Mauritius de Iudic. Aulico §. XIX. *Prima* est Ferdinandi I. Augustae M D LIX promulgata, postrema Ferdinandi III. Ratisponae anno MDCLIV. publicata, in qua Tit. VII, 21 Consiliarii Aulici iurare iubentur *auf des Reichs Constitutionen vnd Satzungen, nebst den gemeinen beschriebenen Rechten*, & in fine huius tituli §. XXIV. praecipitur, *dass das Corpus Iuris Ciuilis & Canonici allezeit auf der Reichs Hoffraths Taffel seyn solle, damit man sich derselben gebrauchen könne.*

§. CVIII.

Prouinciae quaedam repudiato iure patrio sese Ro-

Ast quod ad ordines & prouincias vrbesque Germaniae attinet, aliis diligentior patrii iuris mansit custodia, alii repudiato illo, Romano se plane submiserunt. Exemplo praeiuerat sub initium saeculi

XVI.

XVI. FRISIA, de qua V. A. Zach. Hub. in praef. Obseru. Rer. Iud. Cent. I. *Exortis diu post bellis plus quam ciuilibus, quibus per omne saeculum decimum quintum concussa & turbata fuit Frisia, procax haec licentia miscuit eam, & quidquid ibi iuris legumque superfuerat, e medio sustulit: donec tandem Saxoniae Duces, ALBERTVS & GEORGIVS, quorum ille belli, hic pacis artibus sua aetate in Germania maxima laude claruerunt, gentem factionibus diuisam, armis efferatam, humanarum diuinarumque legum nesciam, ac insolentem, rerum potiti in ordinem redegerunt, constituta ciuili reip. forma, & stabilita GEORGII potissimum opera curia suprema, cui datum id negotii fuit, vt ius Romanum tamquam suae iurisdictionis principium certum vnice sequeretur, ad dirimendas ciuium lites quotidianas.* * Conf. Vbb. Emm. Hist. Fris. Lib. II.

mano sub- miserunt, veluti Frisia.

* Idem vir amplissimus testatur, Frisios postea ea lege se submisisse Carolo V. Imp. *vt ius fori redderetur, secundum praescripta legum Romanarum*, idque sibi eos pacto conuento esse stipulatos. Praesens etiam ipse obseruaui, sanctissime ibi coli Themidem Romanam, ipsaque Statuta Frisiae

anno

anno MDCCXXII. reuiſa & locupletata pauca ſuperaddere, quae a iure illo communi longius recedant.

§. CIX.

Marchia Brandenburgica.

Ita & in MARCHIA BRANDENBVRGICA repudium iuri Saxonico miſſum anno MDXXVII, quo IOACHIMVS I. Elector edidit Conſtitutionem de ſucceſſionibus ab inteſtato, & in praefatione fatetur, ſe cum conſenſu Ordinum omnes conſtitutiones, priuilegia & conſuetudines abrogaſſe, iisdemque Ordines omnes renunciaſſe. Et quamuis Scabinatum Brandeburgenſem confirmet, eum tamen iubet pronunciare ſecundum illam conſtitutionem, *vnd in andern Sachen nach beſchriebenen Kayſerlichen Recht.* Idem factum & anno MDXXXIV *in dem Landes-Reuers.* * Reliquos imitati ſunt NOVAE MARCHIAE Ordines, vt profitetur Ioannes Marchio *im Land-Tages-Abſchied* anno MDXXXIX. Et quamuis ius Saxonicum relinqueretur: *denen Weichbildern, Croſſen, Cotbuß, Zullichaw & Sommerfeld*, diſerte tamen excipiuntur *die beyde Articuli, die Succeſſion vnd Erbfälle belangend.*

* Ver-

* Verba Reuersalium in Codice meo MSCo variorum Recessuum Marchicorum ita se habent: *Vnd weil hievormals die Ständte vnser Landschafft sich einträchtiglich mit vns vereiniget, daß hinfürder in unserm Churfürstenthum vnd Landen Kayser-Recht gehalten vnd gesprochen soll werden, derowegen sich vnsere Praelaten, Herrn, Mann vnd Staedte aller Gebraeuch vnd Gewonheiten voriger Gericht vnd Rechtens verziehen vnd abgesagt: ordnen vnd wollen wir, daß hinfürder in Erbtheilungen kein Heergewedde, Gerade noch Mußtheil soll genommen, noch gegeben werden, besondern in dem vnd andern allen Kayser-Recht dergestalt, wie hiebevor in vnser aufgerichten Constitution vnd Ordnung der Erbfaelle geordnet, durch iedermänniglich solle gehalten werden.* Idem deinde saepius sancitum veluti in recessibus prouincialibus MDXXXVIII. & MDLXXII.

§. CX.

Idem in terris BRVNSVICENSIBVS & LVNEBVRGENSIBVS contigit. In illis iam saeculis XIV. & XV. *geradam* seu *Frawenradam* Saxonicam Helmstadii esse abrogatam a Magno Duce Brunsuicensi, & Ioanne & Bertholdo, Abbatibus Werthi- *Ducatus Brunsuicensis & Luneb.*

nensibus & Helmstadiensibus, Martino denique Papa V. & Fridrico III. Imp. ostendit celeberrimus Io. Andr. Schmidius, de Helmst. per Frawenradam adflicto. p. 6. sequ. vbi p. 30. addit, in vniuerso Ducatu Brunsuicensi & Calembergensi consuetudinem illam demum anno MDCXXV. sub Fridrico Vlrico, Duce esse abrogatam. Sed quod ad ipsum ius Saxonicum attinet, illud satis constat multo ante, saeculo XVI ab Henrico iuniore esse repudiatum, surrogato in eius locum iure Romano. * Conring. Orig. Iur. Germ. Cap. XXXII. p. 203. Hahn. praef. Obs. ad Wesenbec. p. 18.

* Quumque Brunsuicum, ciuitas, ius Saxonicum mordicus adhuc tenuisset: ea potiti Duces Brunsuicenses & ibi illud plane abolеuerunt. Constitutionem Rudolphi Augusti Duc. Brunsu. & Luneb. anno MDCLXXV. ea de re editam recenset Stryk. Diss. prooem. Vs. Mod. Dig. §. XXX.

§. CXI.

Aliaeque Germaniae prouinciae.

Eadem iuris Saxonici, sed & Sueuici, fata in aliis prouinciis fuerunt, veluti in POMERANIA & ducatu MECLENBVR-

BVRGICO, (vid. Cothmann. Vol. 1. Consil. XXVI. n. 219. sequ.) in Ducatu WVRTENBERGICO, vbi iudicibus negotium datur, *so nicht andere redliche vnd ehrbare Gewohnheiten vorhanden, nach des H. Reichs Rechten gleich zu richten.* Wurtemb. Hoff-Gerichts-Ordn. Part. I. tit. IX. Qualia & in aliorum principum ordinationibus & constitutionibus passim legas. Vid. Erneurte Anhalt. Canzley-Ordn. §. XXVII. Magdeb. Policey Ordn. in praefat. quod eo minus mirandum, quo magis constat, ne in ipsa quidem SAXONIA iuris Saxonici totius vsum superesse, sed ipsos Saxonum prudentes fateri, illud valere, quatenus sit receptum. Hartm. Pistor. Quaest. I, 16, 21. II, 13, 82. II, 25, 35. II, 26, 17. Carpzov. Process. XII, 1, 15. Coler. de Process. Exsequut. in praefat.

§. CXII.

Reformatio religionis iuris Rom. incrementa adiuuit.

Quae iuris Romani incrementa haut parum adiuuit felix illa temporum reparatio, qua sub initium saeculi XVI purior doctrina Christiana veluti reuiuiscere in Ger-

Germania coepit. Quo minus enim iuri Canonico fauere poterant proteſtantium theologi, quod Lutherus flammis abſumere non dubitarat: eo magis euehebant ius Romanum. Vid. Luth. Comm. ad Geneſ. XXIV, 1. Tom. IX. Alt.

§. CXIII.

Varia iura prouincialia & ſtatuta.

Denique obſeruandum, omnes fere principes Germaniae a Saeculo XVI edere coepiſſe varias leges prouinciales inſcriptas, *Land-Rechte*, *Policey-Ordnungen*, *Hoff-Gerichts-Cantzley*, *Proceß-Gerichts-Ordnungen*, *Kirchen-Conſiſtorial-Ehe-Ordnungen*, & innumeras huius generis alias. Idem fecere ciuitates tum imperiales tum municipales, in quibus paſſim condita varia *Statuta*, *Reformationes*, & *Willkühre*, quorum pleraque & principes territoriorum rata habuerunt. In his paſſim ſuperſunt quaedam iuris Germanicae reliquiae, at multa vbique de nouo ſancita, pleraque ex iure Romano in illa translata animaduertimus.

§. CXIV.

De vſu iu-

Iam ex his facile patet, quid de vſu iuris

iuris Romani & Germanici post tot eximiorum ICtorum concertationes tenendum videatur. Receptum sane esse ius Romanum, & quidem tamquam ius commune & subsidiarium, nemo temere negauerit, quum ipsa experientia id satis demonstret. Ac proinde primo loco tenendum, 1) *eum, qui iure illo nititur, eatenus firmo satis fundamento niti, neque ad receptionem probandam esse obstrictum.*

rium tum patrii tum peregrinorum Regula I.

§. CXV.

At quum recepto iure Romano, non ideo in exsilium plane actum sit ius patrium: consequens est, 2) *vt primo omnium secundum ius Germanicum pronunciandum, eoque demum deficiente, Romanum in subsidium sit adhibendum:* 3) *vtque adeo bene illi sibi suisque studiis consulant, qui* IVRIS ROMANI & PATRII *differentias mature inuestigant.*

Reg. II. & III.

§. CXVI.

Enimueruo iam supra ostendimus, Ca- *Reg. IV. & V.*

 pi-

pitularia Regum Francorum, multoque magis leges Wiſigothorum, Burgundionum, Salicam, Ripuariam, Baiuuariorum, Alamannorum, Saxonum, Angliorum, Werinorum, Friſiorum, Langobardorum, iam ante plurima ſaecula exſoleuiſſe, ex eoque colligimus, 4) *non eſſe ius Germanicum ex illis priſcis Germanicarum gentium legibus aeſtimandum.* * Quin quum hae gentes diuerſiſſimis maximam partem vſi ſint conſuetudinibus: ex eo facile vnusquisque animaduertit, 5) *laterem eos lauare, qui ex tam diuerſarum gentium legibus, & inſtitutis, quae principiis diuerſiſſimis nituntur, corpus & ſyſtema aliquod iuris Germanici conſui poſſe, ſibi perſuadent.*

* Itaque ius Germanicum hodiernum, cuius paſſim reliquiae ſuperſunt, egregie quidem illuſtrari poteſt ex his aliisque gentium Germanicarum legibus: ſed qui illis vſum forenſem hodie tribuunt, illis probatio incumbet, omnes illas leges iam olim in Germania vniuerſa receptas fuiſſe. Quod quum vel cogitare abſonum ſit: multo magis abſurdum erit, ex iure Wiſigothico vel Burgundionum oſtendere velle,

quale

quale e. g. in hoc tractu Germaniae ius patrium olim viguerit.

§. CXVII.

Multo maior quidem pro iure Saxonico & Alamannico praesumtio est, quia illud in inferiore; hoc in superiore Germania maximae fuit auctoritatis. Sed, quum iura illa alibi desuetudine exoleuisse, alibi lege publica abrogata, & nusquam plane tota recepta esse demonstratum sit: per se patet. 6) *iura illa citantem non habere fundatam intentionem, nisi eorum vsum in ea prouincia in hoc vel illo capite superesse ostenderit.* Quid? quod 7) *ne in Saxonia quidem allegatio iuris Saxonici alicuius momenti sit, nisi vel vsus probetur, vel de eo aliunde iam satis constet.* *Reg. VI. & VII.*

§. CXVIII.

Itaque satis patet, 8) *multos inuehi in ius Romanum, multos iuris Germanici vsum mirifice commendare, qui quale sit illud ius Germanicum, quod tantopere commendant, scire cum ignarissimis videntur.* Eosdem vero 9.) *incredibile damnum in-* *Reg VIII. IX. X. & XI.*

ferre reipublicae, dum ius Romanum certum & a tot saeculis magno studio excultum, manibus iuuenum extorquere conantur, neque tamen ius patrium certius, & quod pro norma tuto sequi possint, illis ostendunt. Ex quo sane verendum, 11) *ne demum plane omnis iuris certitudo in scholis & foro tollatur.*

§. CXIX.

Reg. XII. XIII. & XIV.

Vt ergo pateat, quale sit istud ius Germanicum, cuius primo omnium in dirimendis litibus rationem esse habendam diximus: sciendum, 12) *esse quasdam consuetudines Germanorum vniuersales*, v. g. pacta nuda producere obligationem & actionem, liberos per separatam oeconomiam exire patria potestate, &c. *quas tuto sane sequimur, etiamsi nulla scripta lege firmatae sint, nisi probetur, eas quibusdam casibus legibus restrictas esse.* Deinde, 13) *multa Germanorum instituta passim confirmata esse statutis & legibus Germanorum, immo ipsis aliquando recessibus imperii*, e. g. confirmationem tutorum, *quae itidem nulla probatione indigent:*

gent: denique, 14) *passim vigere consuetudines particulares, nulla lege scripta firmatas*, e. g. ius congrui, paroemiam: maior diuidit, minor eligit, *quarum vsus ex actuum conformium frequentia merito probandus est.* Tales sunt veteres Germanorum consuetudines, quas collegerunt Schottelius, *von unterschiedlichen Rechten in Teutschland*, & Struu. Hist. Iur. VI, 34. sequ.

§. CXX.

Si tale nihil occurrat, 15) *merito ad statuta topica, & his deficientibus, ad iura prouincialia respicitur, in quibus multa quis latere videbit iuris patrii λέιψανα,* * *quae siue adhuc sincera sint, siue iuris Romani laciniis deformata, pro norma esse debent iudicibus.* Multoque minus quisquam dubitabit, 16) *quin sicubi statuta & iura prouincialia ius Romanum in vno alteroue capite mutant, in ista iuris patrii dispositione sit adquiescendum.* *Reg. XV. & XVI.*

* Sic multa passim in Statutis reliqua sunt ex iure Alamannico & Saxonico. De hoc nemo dubitarit, qui iura prouincialia

Magdeburgica, Halberſtadienſia, Anhaltina perlegerit. De Alamannico iam obſeruauit Goldaſtus in Praef. *der Reichs-Satzungen : es ſey der Schvvaben-Spiegel bey den Schvvaben in Schvväbiſchen Gebieten, als Algoevvern, Schvveizern, Pündtnern, vnd Burgundiern, noch zu guten Theil im Schvvank, vnd in ihre Statuta gezogen.* Vnde a ſcopo aberrauit V. C. D. Steph. Chriſtoph. Harprecht, dum Speculi Sueuici non vſum demonſtraturus, multa ICtorum reſponſa corraſit, ſuper quaeſtionibus, *vtrum Ius Feudale Alamannicum publice doceatur, & in decidendis pro norma habeatur, an ius feudale Langobardicum?* Quamuis enim nec publice doceatur, nec in Reſponſis allegetur: multa tamen ex eo vel moribus adhuc obtinere, vel lege ſcripta confirmata eſſe, nemo dubitat.

§. CXXI.

Reg. XVII & XVIII. Deficientibus eiusmodi ſtatutis, iuribusque prouincialibus, 17) nihil reliquum eſt, quam *vt ius Romanum in ſubſidium adhibeatur.* Id quod etiam 18) *de IVRE FEVDALI LANGOBARDICO intelligendum, quippe cum*

Cor-

Corpore Iuris Iustinianei simul recepto, tanquum subsidiario, * *si consuetudines feudales patriae deficiant.*

* Schilterus ad Ius Feud. Alam. cap. XL. §. 4. 5. producit duo diplomata Ruperti Palatini, Regis Rom. in quorum vtroque mentio fit *consuetudinum feudorum, vsuum scriptorum & non scriptorum, praesertim Capituli Naturales in rubrica, si de feudo controuersia fuerit, collatione X. in libro feudorum.* Germanice: *Des Gesezzes und Gevvonheit in Kayserl Lehn Rechten begriffen, vnd in dem Capitel, das anfahet Naturales der Rubricen, ob vmb Lehen zvveytracht vväre.* Vtrumque diploma datum est anno MCCCC IX.

CXXII.

Attamen nullum est dubium, quin *Reg. XIX.* 19) *ea, quae Ius Romanum sancit, ad ius publicum Rom. pertinentia, nec non quae principiis Romanorum, reip. nostrae parum concinnis, nituntur, nullum in foris nostris vsum habeant, nisi recepta esse probentur.* Quamuis hic Ottonem Taborem aliosque dissentire, non ignoremus.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

Reg. XX. Denique 20) *IVS CANONICVM in protestantium foris, non nisi quatenus receptum est, valere, eiusque vsum in caussis praecipue ecclesiasticis, matrimonialibus, & processu, quem vocant, forensi superesse*, iam ab aliis, & praecipue illustri BOEHMERO, Academiae nostrae ornamento, ἐξ ἐπαγογῆς, seu per inductionem ostensum est in opere eximio de iure ecclesiastico Protestantium.

F I N I S.



INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS.

A.

B.

Cae-

Dicta-

Du-

rem

Gal-

re

Ho-

N.

Rep-

S. lit-

quis



